profitemur, quam Mundi Salvator S. Petro revelavit, & quam S. Petrus ad suos successores transmisit. Hoc magnum illud est argumentum, quo sancti Patres contra Hæreticos usi sunt, ut illos, dum in errore versabantur, evincerent, eosque ad Ecclesiæ sinum reducerent, cum ab officio recessissent. Oculos aperite, dicebat Donatistis S. Augustinus, & intuemini prolixam hanc Pontificum, Martyrumque seriem, qui quadringentos annos S. Petri Cathedram tenuerunt, eamdemque professi sunt fidem, atque Doctrinam usque ad Anastasium Pontificem; hic enim tunc S. Petri Cathedram obtinebat. Audetisne peculiares sensus vestros præferre tot Sanctis Martyribus, quorum alii aliis successerunt, & quorum plerique sanguinem effuderunt suum pro fide tuenda? Quod si quatuor sæculis de quibus S. Augustinus loquitur duodecim, vel decem ac tria addantur felicissimæ hujus successionis, quibus dicere merito possumus Ecclesiam adhuc subsistere, licet Arianorum dolis, & persecutionibus fuerit concussa, licet Gothorum, Vandalorumque exundatione fuerit depopulata, licet Romanum corruerit Imperium: Et Ecclesiam hanc semper J.C. fidem servasse puram, & immaculatam, quin dæmonis artes, & insidiæ puritati illius labem asperserint: Quam vim hoc non habet argumentum contra nuperos Hæreticos? Nonne his dici potest, quod Donatistis S. Augustinus dicebat: respicite diutinam hanc Romanorum Pontificum seriem, qui S. Petro successerunt, sexdecim, vel septemdecim sæculis, qui omnes eamdem fidem, eamdemque doctrinam professi sunt; & si hæc fides, & hæc doctrina eidem est, quam S. Petrus a Salvatore recepit, & professus est, quo ore dicere non erubescunt, hos omnes S. Petri successores errasse; ipsos vero solos fidem, veramque doctrinam servasse?

Prima Ecclesiæ sæcula repetentes invenie-mus apud omnes SS. Patres solide probatum S. Petri primatum, & Cathedram ejus omnium primam, cui ceteræ adhæreant opus est, ut fidem servent.

Protestantes, qui per funestissimum schisma hæresi superadditum recesserunt ab unitate, recedentes a S. Petri Cathedra, quæ illius principium est, origo, & centrum, frustra omnes vires industriæque nervos intenderunt in hanc usque diem, ut doctrinam hanc labefactarent. Meum non est hic eorum objectiones refellere, quibus illam impugnare adorti sunt, & quarum imbecillitas ostensa fuit, in plurimis, iisque doctissimis responsionibus, quibus illis obviam itum est. Sed ad evitandam contentionem, quæ separari minime potest ab iis argumentis, quæ adversariorum rationibus opponuntur, ut non nisi magno utar principio, dicam tantummodo verbo uno, si consulatur Antiquitas, & prima ipsa Ecclesiæ sæcula repetantur, semper illam constantissime hunc S. Petri primatum credidisse.

Hyppolit. Martyr. de consumm. Mundi. Tertull. de præscript. c. 22. Irenæus. Origen. in Epistol. ad Rom. c. 6. Cyprian. de unitate Ecclesiæ. Epiph. in Anach. Ambr. in Luc. c. 10. Greg. Naz. Orat. 26. Hilar. in Matth. 16. Hier. adv. Jovin. l. 2. Optatus Milev. contra Parmen. l. 2. Cyrillus Alexand. in Joann. c. 12. August. in Joan. tract. 11. 34. Ep. 161. Chrysost. Hom. 13. in Matth. & 87. in Joan. de B. Ignatio. S. Leo in sermon. suæ assumpt.

Probatio patet ex omnium fere Sanctorum Patrum testimonio, passim in operibus suis asserentium, Petrum esse petram, & fundamentum Ecclesiæ, Cathedram ejus esse Cathedram præcipuam, cui reliquæ omnes adhæreant opus est; illum supremam habere potestatem, eo quod curæ illius crediti fuerunt agni filii Dei; illum primatum accepisse, ut una esset Ecclesia; illum primum, principem, caput, & coriphæum Apostolorum; illum esse mundi totius OEconomum, cui Jesus Christus rerum omnium arbitrium permisit, cui dedit fratrum præfecturam, quem Apostolis omnibus præfecit, & qui regit omnes Pastores; cum sexcentis id genus elogiis, quæ singula, & universa magnifice exprimunt Primatum ejus, quod sæpe in generalibus Conciliis approbatum est. Cum ergo venerabilis antiquitas credidit S. Petri Primatum, neoterici isti heterodoxi doctrinæ suæ novitate illum impugnent, jure illis reddere possumus: *Desinat incessare novitas vetustatem.*

Ita constat J.C., qui vult Ecclesiam suam usque ad sæculorum finem permanere, contulisse primatum, supremamque dignitatem Capitis visibilis universalis Ecclesiæ pro ipso, & successoribus ejus in principali ea Cathedra, quam magnus hic Apostolus Romæ constituit, ut id probare argumentis sit supervacaneum. Si enim ea dignitas ita personæ illius adhæsisset, ut ad Successores illius non migraret; inde sequeretur post S. Petri mortem Ecclesiam corruisse, non habuisse ultra illud unitatis principium, quo fit una, eamque fuisse corpus sine capite, ac ædificium, quod ruinam minabatur sine fundamento. Ceterum quis nescit, hunc ordinem esse rerum natura constitutum in legitimis successionibus, ut Reges, aliique Principes, eorumque ministri in sæculari statu; Episcopi, Metropolitæ, Primates, & Patriarchæ in Ecclesiastico; ministri etiam apud Heterodoxos, in prædecessorum suorum jura, & potestatem succedant? Sed licet nobis hæ deessent rationes, quæ maximam habent persuadendi vim, dicere satis esset, omnes Antiquitatis testes, qui Primatui S. Petri, & supremæ potestati ejusdem in Ecclesia universali testimonium perhibuerunt, illos communi, conflatoque consensu, secundum eadem J.C. verba, Romanis etiam Episcopis tribuisse, qui sunt Principis Apostolorum hac in cathedra successores. In Conciliis, & apud Patres nil tam commune est; ubi ea, quæ dicta sunt de S. Petri primatu, & de Romanæ Cathedræ prærogativis, conceptis verbis, quam sæpissime repetuntur ad exprimendum Romanorum Pontificum primatum, auctoritatem in Ecclesia universali, & Cathedræ ipsorum, necnon Romanæ Ecclesiæ superioritatem.

Primatus in Ecclesia non uni tantum S. Petro adhæsit, sed transit ad illius successores; & veritatis hujus argumenta.

Quovis tempore Ecclesia Romæ Episcopum pro S. Petri succes-

Supponendum est magnum istud principium, quod est de Christianæ, & Catholicæ Religionis essentia, sine quo necesse est, ut in schisma & hæresim quilibet ruat. In Episcopi Romani primatu, tanquam successoris S. Petri, J.C. ædificasse Ecclesiam suam, cujus illum visibile caput instituit, hac dignitate illum suum in terris Vicarium constituens. Primatus hic adeo perspicue ex Ecclesiastica historia colligitur, ut ultro se ipsum cæcum præbeat opus sit, qui non videat, sibique persuadeat, Ecclesiam quovis tempore pro visibili capite suo habuisse Romanum Episcopum, qui adversante nemine jurisdictionem in ipsos etiam Orientis Patriarchas habebat, a quibus ad illius Tribunal appellabatur. Hoc semper fuit, eritque semper centrum Catholicæ unitatis, efficitque ut illam vocemus *Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*, quæ proprietas unitatis ad unum illam pertinet. Quia quomodonam particulares omnes Ecclesiæ in terras omnes effusæ in Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, quo late Christiana Religio se extendit, erunt unicum corpus mysticum, & visibile J.C., & una Catholica, & Universalis Ecclesia, si earum singulæ corpus & cultu & fide separatum esse voluerunt, alterum ab altero minime pendens, quin habeant illam Hierarchici ordinis subordinationem, qua ad unitatem redigantur? Quinam habebunt illæ unitatem hanc Ecclesiæ adeo essentialem, nisi omnibus unum fuerit visibile Caput, qui eas regat eo modo quo Sp. sanctus præcepit in Conciliis, & qui idcirco sit centrum, ac nodus unionis hujus, quæ ex omnibus simul collectis unam efficere debet Ecclesiam Sanctam, Catholicam, vel universalem, & Apostolicam? Hanc S. Apostoli in universo terrarum orbe constituerunt, ubi prædicarunt, ut S. Paulus, opus esse ut omnes simus unius Corporis membra, unam Fidem, unam Baptisma, unum Spiritum, & unam Communionem habentia. Quamobrem omnes particulares Ecclesiæ, quæ unum agnoscunt visibile caput in persona omnium deinceps successorum S. Petri, cui Petro dixit J.C., *Tu es Cephas*, hoc est, *petra*, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, omnes simul adhærent visibili huic Capiti, veræ Ecclesiæ Catholicæ; quæ una est, propter hanc unionem omnium sub visibili Capite; & quæcumque separatæ sunt ab hac unitate, aliæ ab aliis æque ac ab Ecclesia Catholica divisæ, totidem sunt schismaticæ Ecclesiæ propter hanc successionem quæ illas avellit ab uno mystico, visibilique corpore Jesu Christi. Hoc magnum est unitatis principium, quo fit, ut Ecclesia una sit, & indivisibilis.

sore cognovit, & pro capite visibili universalis Ecclesiæ.

Ad Ecclesiam eo in statu servandam in quo illam J. C. constituit, opus erat, ut S. Petrus haberet successores a quibus cum eadem auctoritate regeretur.

S. Petrus a J.C. vocatur Ecclesiæ fundamentum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Fundamentum autem eamdem cum Ecclesia habere debet diuturnitem; ideoque sicut Ecclesia usque ad sæculorum consummationem est duratura, Ecclesiæ quoque fundamentum firmum esse debet, ac stabile usque ad Mundi finem; ideoque cum S. Petrus non sit amplius in terris, cumque esse nequeat fundamentum hoc Ecclesiæ visibilis in persona propria, semper est in persona eorum, quos per temporum successionem in ipsius locum Providentia substituit. Et sicuti a fundamento totius ædificii firmitas pendet, & illud ruit, si fundamentum substiterit, ad Ecclesiam bene statuendam necesse erat, ut S. Petrus successores haberet, a quibus cum eadem auctoritate regeretur.

Quid sentiendum de illis, qui Ecclesiæ, sanctæque Sedis judicio non adquiescunt?

Si ex me quæritis quid sentiendum sit de assertis hisce sapientibus, qui sibi non communia jactitant esse lumina, cum de Religione sermo est; qui severam dumtaxam disciplinam adfectant, qui pœnitentiam tantummodo crepant, & qui nihilominus Ecclesiæ statuta mordent, ac in dubium revocant Romani Pontificis in nobis regundis potestatem, atque auctoritatem; eodem pacto judicium ferendum est, quo de Tertulliano S. Hieronymus judicabat. Quid porro de summo illo viro, qui adeo mira scripsit, & qui adeo zelotes fuit pro Ecclesia tuenda, judicavit? En quid ille dicat: *Non aliud dico, nisi Ecclesiæ hominem non fuisse.* Tertullianus quidem eruditissimus erat, magnus jejunator, austerus; non ideo tamen filius, & discipulus Ecclesiæ fuit. Hoc ipsum dici potest de curiosis istis viris mordicus suo sensui adhærentibus. Cum omni scientia, atque austeritate sua non sunt Ecclesiæ membra viventia; fidem amiserunt, & habebuntur a Deo, J.C. ait, tanquam infideles: *si non audiverit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus. &c. (Matth.18.)*

Cum voluerit Deus fideles omnes in unitate ejusdem corporis, quod esset J.C., & Ecclesiæ corpus congregare, haud abs re est scire, licet in uno corpore omnia membra non eumdem honorem, eademque habeant officia, omnia tamen unanimi consensu, simulque variis muneribus suis ad Capitis sui honorem conferre, itaut in Apostolorum Collegio, licet vocatio par esset omnibus, non tamen omnibus par tribueretur potestas: J.C. enim unum ex iis eligit, quem fratrum suorum Principem constituit, & quem post se visibile Ecclesiæ caput effecit. Juxta hoc exemplar institutum est discrimen inter Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas: Providentia enim, quæ subordinationem in Apostolorum collegio constituerat, quosdam constituit gradus in Ecclesia, per quos ad capitis unitatem pervenitur, & hi gradus sunt Episcopi, Archiepiscopi, Metropolitæ, Primates, Patriarchæ; & omnes dignitates istæ, quæ singulæ propriam habent potestatem, omnes ad Romanam sedem referendæ sunt tanquam lineæ ad centrum, ut omnes perveniant ad unitatem Sedis S. Petri, cui commissa fuit universalis Ecclesia, & ne earum ulla unquam abesset a capite, nisi simul ab unitate discederet; ideo Spiritus sanctus, qui præest semper regimini Ecclesiæ, voluit, Apostolos re adhuc integra in Concilii formam congregari, ut inter discipulos omnes eligeretur ille, quem Deo placeret in Judæ locum sufficere, & ut institueretur usus,

usus, qui a fidelibus circa Judaicas observantias erat servandus. Opus non erat tunc temporis, ut Apostoli cogerentur simul ad explicandos Scripturarum sensus, ad simul invicem Traditiones suas conferendas, & efformandum fidei articulum, cum omnes omnia certissime callerent; neque indigebant effectibus supremæ potestatis S. Petri, ut illos in unitate servaret, quia cor unum, & una mens erat illis. Sed ex eo usque tempore voluit Spiritus sanctus nascenti Ecclesiæ proponere eam normam, quæ illis usque ad temporum finem erat servanda. Quamobrem S. Petrus velut Caput, fratres suos cogit, illis quæstionem proponit, concludit, decernit, statuit, quin aliquis adversetur: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Celeberrimum documentum ejus rationis, quam Ecclesia sæculorum decursu debebat sequi in Œcumenicis Conciliis per Romanos Pontifices convocandis qui semper illis per se præfuerunt, vel per Legatos suos, & eorum Acta confirmaverunt.

Vitia, & errores Pontificum singulorum nunquam Sanctæ Sedi adhæserunt & nunquam Ecclesia Romana in errorem est lapsa.

Non nego, dicebat S. Augustinus Donatistis, proditorem aliquem furtim in Petri Cathedram obrepere visum esse, sicut Judas visus est in Apostolorum collegium ingredi, & cum Dei Filio conversari; sed hoc Sanctæ Sedis gloriam commendat, non minuit. Et ratio, quam Sancti Patres, Theologique afferunt, hæc est, vitium, vel hæresim personarum nunquam ad ipsam usque Sedem permeasse. Quod Pontifices hæresim docuerint necne, hæ spinosæ sunt quæstiones fusius apud eos, qui de Controversiis scripserunt pertractatæ; factaque sunt, de quibus variant Doctorum sententiæ: illud autem verissime dici potest, nunquam Romanam Ecclesiam contraxisse labem, vel hæresim a Romanis Pontificibus, qui illius nomine insimulantur, & qui illam rexerunt; nihilo magis quam Apostolis Judæ perfidia labem attulerit. Ratio vero, quam afferunt SS. Patres, hæc est, quod illa statuta est super fidem S. Petri, quæ nequit deficere, & fides S. Petri innititur verbo Salvatoris, qui eidem opem per hæc verba promittit: *Oravi pro te, Petre, ut fides tua non deficiat.* (*Luc.22.*) Hoc ita non est de amplissimis terrarum Ecclesiis. Nonne vidimus Byzantinam, quæ secundum inter Patriarchas locum obtinuerat, bis ab Hæresiarchis, a Nestorianis, & Macedonianis occupatam? Nonne Alexandrinam a S. Marco fundatam, sæpissime vidimus possessam ab Arianis, atque Eutychianis, quales erant Dioscorus & Lucius? Nonne Antiochenam ab ipso S. Petro positam vidimus factam Pauli Samosateni sedem, qui hæresim suam in totum fere Orientem effudit? Denique nonne Jerosolymitana Ecclesia a S. Jacobo fundata, & Salvatoris sanguine consecrata visa est a Monothelitis, Arianis, & Origenistis infecta? Illæ vero ad hanc usque diem nonne in summa eorum quæ ad nostram Religionem pertinent, cæcitate versantur? Sola S. Petri Cathedra jam a mille, ac septingentis annis fundata, inter sæculi tumultus, ac perturbationes semper fidem suam integerrime, ac sine labe servavit, quin Satanæ artes, ac vires illius decori maculam offundere potuerint.

Quæritur quomodo hæc duo conciliari possint: S. Petrum esse Ecclesiæ fundamentum, & mitti non posse aliud fundamentum præter illud, quod jam est, videlicet Jesum Christum.

Quæritur, quinam conciliari possint hæ simul propositiones, S. Petrum esse fundamentum Ecclesiæ Catholicæ, & neminem aliud ponere posse fundamentum, præter illud, quod jam positum est, Christum Jesum? Difficultatis hujus solutionem haurimus a quodam S. Pauli loco, ita scribentis ad Ephesios 2. *Jam non estis hospites & advenæ, sed estis domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Ubi videtis varia esse fundamenta sibi superimposita, ut in materialibus accidit substructionibus, ubi plures collocantur lapides fundamentales, ex quibus unus angulum obtinet duorum parietum, & reliquos sustinet. Jesus Christus est lapis angularis omnia sustinens; Apostoli sunt fundamenta super lapidem hunc constituta, & præcipuum ex his fundamentis est S. Petrus, qui innititur Christo Jesu, qui a S. Augustino vocatur, *fundamentum primum, & maximum, & fundamentum fundamentorum.* (*in Psal 86.*) Simili ratione, inquit ille, sicut J. C. vocatur Sanctus Sanctorum, & Pastor Pastorum, quod innuit alios etiam esse Sanctos, ac Pastores præter illum, illum vero omnium esse principem; ita potest nuncupari fundamentum fundamentorum.

Ecclesia super triplici fundamento ædificata est.

Dici potest, Ecclesiam super tribus subordinatis fundamentis fuisse ædificatam. Primum quod totum sustinet ædificium, Salvator est; alterum S. Petrus, ejusque successores Summi Pontifices deinceps usque ad Mundi finem; tertium Episcopi, qui sunt Apostolorum successores. Ita S. Athanasius ad Felicem Papam scribit: *Tu es Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est Episcopi, sunt confirmati:* significans quemadmodum quædam sunt ædificia columnis suffulta, & hæ basibus suis superpositæ, & incumbentes: similiter Episcopos, qui Apostolis successerunt esse Ecclesiæ columnas; & Summum Pontificem, qui S. Petro successit, esse veluti basim; sed basim hanc cum omni superposito ædificio suffultam esse immobili fundamento, quod est J. C. Hæc satis esse possent ad pertinacissimum quemlibet flectendum; nihilominus ut argumento huic major fiat luminis accessio, dicere possumus, cum Ecclesia sit corpus visibile conflatum ex membris visibilibus, quæ sunt fideles, debere habere caput visibile in terris, a quo visibiliter gubernetur. Cum ergo Salvator in cælum esset reversurus, ideoque mortalium oculis præsentiam suam subtracturus, ex numero Apostolorum sibi in Vicarium elegit, ut suum teneret locum in regunda visibili Ecclesia, quam ipse in terra fundaverat. Hoc autem illi promiserat, cum hæc protulit verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth.16.* Idem Salvator post gloriosam Resurrectionem suam promissionem hanc volens implere, præcepit S. Petro, ut pasceret agnos, ovesque suas his aliis verbis: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* (*Ibidem.*) Pro ovibus quæ sunt agnorum matres intelligi possunt Episcopi, aliique Præsules, & Ecclesiæ superiores, quibus officium est verbo pascendi animas, & multo magis exemplo; pro agnis vero simplices populi intelliguntur. Tunc ergo totius Ecclesiæ principatus S. Petro collatus fuit, & ipse constitutus Caput, & universalis omnium fidelium Pastor, ideoque mystici, visibilisque Ecclesiæ ædificii fundamentum: *Quod enim caput est in corpore, hoc est fundamentum in ædificio.* Cum autem Salvator in cælum ascendit, & ad Patrem suum rediit, non poterat amplius visibiliter regere Ecclesiam suam, & opus fuit Vicario, cui cura illius committeretur, & qui ex commisso sibi munere eamdem haberet, quam ex se ipso Jesus Christus habet auctoritatem. Neque ideo dixeris Ecclesiam usque in præsens tempus a Salvatore non gubernari; eam quippe regit, sed invisibili modo; omnem enim exteriorem illius politiam Vicariis suis Summis Pontificibus credidit deinceps in finem usque Mundi, inter quos S. Petrus omnium exemplar fuit, quippe qui primus fuit Salvatoris Vicarius, quem sequentes debent imitari.

PARAGRAPHUS VI.

Delecta ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenta.

Ecclesia militans triumphans, & patiens sua putant interesse, Elogium S. Petri Apostoli.

SI Ecclesia rem agi suam censuit in omnibus Sanctorum encomiis, qui filii sunt ipsius, & quos in sinu suo educavit; hodierna die potiori jure eamdem agi arbitratur in laudibus S. Petri, quem colit tanquam Caput suum, ac fundamentalem petram, super qua Dei Filius ipsam collocavit. Ita non nisi summa cum admiratione de eodem verba facit; ita ut si Regius Propheta generatim asserit, Deum esse in Sanctis suis admirabilem, hoc potissimum dicat de magno hoc Apostolo, utpote, in quo Deus fecit, ut omnes suam potentiam, ac bonitatem admirarentur: *In Petra te mirabilem prædicamus.* Sed quamvis illa hodierna die taceret, omnes universim partes loquerentur, & prærogativas, quibus Mundi Salvator illum decorare dignatus est, celebrarent. Cælum nobis ostenderet claves, quas ille manibus tenet, ut januas illius nobis ad arbitrium claudat, vel aperiat; tellus diceret nihil in ambitu suo contineri, quod ejus potestatem non commendet; Mare nobis exhiberet fluctus suos, sub pedibus ejus in solidam crystallum concretos, & fateretur infernus, illum de omnibus conatibus, dolisque suis egisse triumphum. Verum quasi creaturæ omnes parum nimis essent ad merita illius prædicanda; ipse Dei Filius eorum præco esse voluit, illi conferens dignitatem Capitis Ecclesiæ suæ, quia titulus hic est meriti ejusdem præmium, non secus ac indicium ejus pretii, in quo habet, & dilectionis, qua magnum hunc Apostolum prosecutus est. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quædam certaminis species est inter Magistrum, & discipulum, uter alterū pluribus laudibus celebret.

Mirum esse non debet videre simplicem Piscatorem a Dei Filio usque ad altissimum honoris cumulum sublatum, postquam ex ejusdem Piscatoris ore auditum fuit gloriosissimum testimonium, quod dignitati Hominis Dei fuerit unquam perhibitum: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Diceres inter Magistrum, atque Discipulum non defuisse quemdam æmulationis, & certaminis spiritum, uter mutuo alterum majoribus laudibus cumularet; cum hoc tamen discrimine quod laudes, quibus Petrus Mundi Salvatorem cumulavit, non aliud sunt, quam expositio ejus quod per se jam erat ille; eæ vero, quas Salvator Petro largitur, efficient illum esse qualem significant: *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in mundum venisti*, (*Matth. 16.*) respondet Apostolus Magistro interroganti, quid ille de sua persona, & qualitate sentiret: & si vicissim a Dei Filio sciscitamini, quid ipse de Apostolo suo sentiat, respondebit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Discipulus inquit, Magistrum suum esse Christum: *Tu es Christus*, videlicet unctum esse manu Patris Æterni, ideoque ipsum a se haberi pro Rege, omniumque dominantium domino. Sublimiorem sane illius conceptum habere nequit; tu vero Magister ait, primus es ditionis meæ Præfectus, ille qui meas geret vices, & qui Vicarius meus erit super terram. Poteratne illum altius attollere, quam illi post se primum locum tribuere? *Filius Dei vivi*, sequitur Discipulus, hoc est Verbum æternum, & substantiale, qui creavit Cælum, & terram; ego vero, subdit Filius Dei, transferam in te potentiam meam, quam in Cælis, terrisque habeo, tibique eorum claves committam: *Et tibi dabo claves regni Cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis* (*Ibidem*). Sed nondum satis. Fatetur idem Apostolus Jesum Christum in mundum venisse, *qui in hunc mundum venisti*; ideoque Verbum esse Incarnatum, Hominem Deum, Redemptorem, & caput omnium mortalium; sed Salvator ait, se non venisse in hunc mundum, ut ibi semper permaneret; quamobrem te post obitum meum mihi Vicarium constituo, ut nomine meo universæ terræ promas oracula, atque caput sis Ecclesiæ, ad quam constituendam accessi. *Idem.*

Quam late pateat S. Petri dominatio in Ec-

De Jesu Christi Regno, cujus imperium per clavium traditionem collatum est: *Dabo claves regni cælorum* idem dicendum non est ac de aliis regnis terræ. S. Petri Regnum universale

BIBLIOTECA CENTRAL BARNA

ecclesia, quæ est temporale regnum Jesu Christi.

versale est, seu tempora, seu locos inspicias. Cum enim sedeat in J. C. solio quatenus Vicarius, ac locum illius tenens, dicere possumus ipsum dominari a mari usque ad mare, *Dominabitur ad mare*, (*Psalm.*70.) omnes gentes futuras esse illius hereditatem, & hereditatem hanc non alios habituram terminos, quam extremos terrarum plagas: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* (*Psalm.*77.) J.C. imperio ipse est Ecclesiæ hujus spiritualis Monarcha, quæ secundum prophetiam David, debet tanquam arbor miraculosa terram omnem suis replere radicibus, umbra sua montes omnes tegere, ramosque suos ad Oceanum usque protendere. Omnes Christianismi Heroes, hoc est, omnes Apostolici viri, quos J. C. elegit, ut mundum suo subjugarent imperio, & quorum vox, juxta verbum illius in omnem terram exaudita fuit, *in omnem terram exivit sonus eorum*, adlaborarunt, ut apud omnes gentes fidei ipsius recentes semper subditos subjicerent. Certum est hodierna die in quatuor mundi partibus festum S. Petri diem, tanquam Summi Pastoris Domini Gregis celebrari, & eos omnes, qui Salvatorem agnoscunt, habere etiam S. Petrum pro visibile Capite Ecclesiæ; adeo verum sit, quod S Leo inquit, urbem Romam quatenus S. Petri sedem factam fuisse totius mundi Metropolim, eamque imperii sui fines longe latius S. Petri Religione, quam Cæsarum armis protendisse. Omnia, quæ gessit bella, omnes, quos retulit, triumphi nequaquam illi tot populos subjecerunt, quot Evangelii prædicatio, & pax Christiana subjecit. *P. Texier.*

Ejusdem argumenti. De urbe Roma, totius mundi Capite, Populorum Matre, Gentium Regina, in qua S. Petrus suam sedem constituit, dicere hodierna die licet, quod olim S. Leo in diei hujus celebritate dicebat; duodecim elapsa sunt sæcula, ex quo hæc Mundi Metropolis plus debet S. Petro, qui inter illius muros Sedem Ecclesiæ suæ posuit, ejusque Coadjutori S. Paulo, quam geminis fratribus, qui prima jecerunt imperii illius fundamenta, & ex quo felices spiritualis Dominationis suæ limites longius extendit, quam olim eadem politici imperii terminos prolataverit. Quamvis deorum delubra, tuarumque ædium postes omnium provinciarum manubiis exornaveris, omnesque mundi populos armorum tuorum vi superaveris, sequitur idem Pater; merito dici tamen post Apostolorum sanguinem, & Christianorum fidem plures ditioni tuæ populos subdidisse, quam omnium Imperatorum tuorum triumphos. Illorum nonnisi miserandas ruinas ostentas; cum interim pacificum imperium tuum post septemdecim sæcula eas omnes in terras pervaserit, quo Solis penetrant radii; & regnum quod exerces in animas nullum sit usquam finem habiturum. *Auctor recens.*

S. Petrus sese extulit super ea omnia quæ sensibus sunt obnoxia immo etiam super Prophetarum lumina, ut agnosceret J. C. Dei unigenitum. In Evangelio videmus, cum J.C. Apostolos interrogasset, quid ipsi de adorabili ipsius persona sentirent: *Vos autem, quem me esse dicitis?* S. Petrum pro omnibus, vel quatenus eorum caput, vel potius, quatenus omnium os ex D. Chrysostomi sententia, respondisse: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Quin adhæreret carni, aut sanguini, qui efficiebant, ut J.C. ipsi videretur homo, sicut ceteri, passibilis, atque mortalis; ille, Patris Cælestis revelatione aspirante, assurgit super ea omnia, quæ sensibus subjecta sunt, & quæ Philosophorum acumen uspiam penetraverit, super legem eamdem, ac Prophetas, ut viva fide altissima Religionis nostræ mysteria cognoscat. Jam ante Spiritus sancti dilapsum agnoscit Trinitatis Mysterium, quandoquidem agnoscit æternam Patris generationem, ac in gloriosum illius sinum ingreditur, ubi videt viventem Deum vitam, substantiamque suam Filio communicantem. Distinguit discrimen illud quod inter unicum, & naturalem Filium, aliosque adoptivos intercedit. Hi sunt Filii Dei morientis; ille vero genitus fuit a Deo vivente, tanquam secundo divinæ vitæ principio. His etiam verbis testatur, se perfecte cognoscere Incarnationis Mysterum, appellans J.C. hoc est Unctum Domini; Deum hominem factum pro salute hominum. *P. Texier.*

S. Petrus primus prodiit, ut Evangelium annuntiaret. Mirum esse non debet si postquam Sp. sanctus descendit, S. Petrus quatenus caput copiosiorem habens luminum communicationem, primus omnium prodit Evangelium annuntiaturus: *Stans Petrus cum undecim, levavit vocem suam, & locutus est eis.* (*Act.*3.) Hic per Scripturas atque Prophetas probat Divinitatem J. C., Missionem, Resurrectionem illius, ejus sedem ad dexteram Dei Patris sui, absolutamque necessitatem credendi in eum, & fidem habendi omnibus Mysteriis ejusdem, si quis salutem consequi cupit. S. Apostolus hæc omnia probat tanta vi, & perspicuitate, ut vel primo Sermone suo tria animarum millia J.C. pepererit. Ita ille pro omnibus, & omnium nomine loquitur, cum prodeundum est coram Summo Pontifice, atque Doctoribus Synagogæ. Tenet etiam vi incomparabili, ac sine metu, in cœtu eodem, se cum Collegis suis accepta jam divinitus Missione, ut J.C. pro Messia, & Salvatore universo Mundo traderent cognoscendum, ut novam legem hominibus nuntiarent, debere magis Deo, quam hominibus obsequi. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* (*Act.*) *Idem.*

Amor, quo S. Petrus J. C. prosequebatur. S. Petri fides tot illustrata luminibus, formata, perfectaque fuit ardenti caritate; & S. Augustini sententia est: si S. Joannes fuit dilectus Discipulus, S. Petrum fuisse Apostolum diligentem. Hic urgens amor ad Magistrum suum properandi coegit eum, ut ex navicula se se in mare projiceceret, & super aquis ambularet: *Descendens Petrus de navicula ambulavit super aquas, ut veniret ad Jesum.* Oportebat sane, ut J.C. certus esset de hujus Apostoli dilectione, quandoquidem ab eo sollemnem amoris professionem elicuit, cum ter ab illo quæsivit; *Petre, amas me plus his*, cui statim Petrus respondit: Etiam, Domine, *tu scis, quia amo te.* Equidem scio, ab Ecclesiæ Patribus plures afferri caussas propter quas J.C. hac de re S. Petrum interrogaverit. S. Augustinus ait illum voluisse, ut triplici hac professione deleret crimen illud, quod triplici negatione commiserat. S. Gregorius Magnus ait, J.C. ter illum interrogasse de illius amore, ut doceret illum, & eos omnes qui sunt auctoritatis ejusdem participes, bonum Pastorem testari debere ovibus suis amorem, eas tripliciter nutriendo, mente videlicet, ore, & exemplo: *Pasce mente, pasce ore, pasce exemplo.* Sed calculum addo S. Leonis dicenti, Dei Filium trina interrogatione voluisse amorem hujus Apostoli augere, & magis, magisque inflammare: *Professio tui amoris in Dominum trinæ interrogationis est solidata mysterio. P. Texier.*

Victoriæ et triumphi fidei S. Petri. Ejusdem Apostoli fides constans fuit & victrix de iis omnibus, quæ consiliis ejus obstiterunt. Postquam illustribus trophæis replevit Judæam, Pontum, Galatiam Cappadociam, Asiam, Bythiniam, hostem in ipsa arce adortus est, & qui olim ad ancillæ vocem trepidaverat; Superbas Romæ vires, Mundi totius Metropolis non reformidat: *Nec Mundi Dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaverat Sacerdotis ancillam.* Illic piscator iste rudis, ac per se pavidus, illustratus, ac roboratus fide, calcat subtilissimas Philosophorum opiniones, fallacia humanæ sapientiæ consilia evertit, dæmonum cultum abolet, & devicto argumentis, precibusque Simone Mago, mortis constantia Neronis superat crudelitatem. Ita est; crux hæc cui configi cupit capite in terram verso per reverentiam, qua Magistrum suum colit, non tamen est sui supplicii instrumentum, quam triumphalis gloriæ suæ currus. *Tali curru triumphamus*, Tertullianus ait. *Idem.*

Quanta fuit hujus Apostoli fides, & in quibus occasionibus illam ostentaverit. Magna profecto erat; & maxima S. Petri fides, cum J.C. dixit illi, *Beatus es.* Simon Filius Joannis. Hujus enim fidei vi super aquas ambulaverat, ut ad J.C. celerius contenderet; cumque plures e Discipulis a J.C. grege secessissent, quippe scandalum arripuerant ex ejus doctrina de Eucharistia, & quæsivisset ab Apostolis Jesu, utrum & illi secedere vellent: S. Petrus illi responderat: Heu Domine! quo ibimus? verba enim habes vitæ æternæ. Quæ omnia palam ostendunt magnitudinem fidei illius, quæ non fuit S. Augustinus inquit, fides theoretica, & speculativa, sed realis, & practica; quæ non fuit fides mortua, sed vivens, & animata, quæ non fuit sterilis fides, & infecunda, sed ut ita dicam, dives fecunditatis, quandoquidem in illa peperit tot effectus admirabiles. Quæ omnia probant, illum statim ac secutus fuit J.C., hunc pro Filio Dei viventis agnovisse. Etenim, ut S. Augustinus ratiocinatur, si illum hominem tantummodo credidisset, non reliquisset pro illo quidquid in Mundo poterat possidere. Si illum hominem tantum existimasset, nequaquam dixisset illi: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* (*Matth.*24.) Si illum hominem merum putasset, ipse quoque non secus ac alii scandalum arripuisset ex imperio, quo jussus fuit illius carnem comedere, & bibere sanguinem. Si illum hominem tantum credidisset, nequaquam ea quæ sibi a J.C. de hoc mysterio dicebantur, pro verbis vitæ, ac immortalis vitæ accepisset: *Verba vitæ æternæ habet.* (*Joann.*6.) Verum igitur erat quod neque caro, neque sanguis, sed ipse Dei Spiritus infuderat illi sublimes eas cognitiones, quibus erat repletus. *P. Bourdaloue.*

Quomodo fides nostra imitari debet fidem S. Petri. Ecce qualis fuerat S. Petri fides, & in quo nostræ esse debeat exemplum. Fides fuit practica, efficax, & agens, atque talem & nostram esse opus est. Fides enim quæ in verbis immoratur, & in sensibus, quin ad opera procedit, nonnisi ad nostram condemnationem inservire potest; hæc fides est dæmonum, qui credunt, & contremiscunt, ibique morantur. Fides generosa effecit ut omnia desereret, quæ possidebat, quidquid possidere poterat, quidquid poterat sperare vel concupiscere: quamobrem jure dixit: *Ecce nos reliquimus omnia.* (*Matth.*19.) Ita etiam nostra fides nos ab omnibus avellere debet, videlicet, debet efficere, ut parati simus ad omnia, ut patienter sustineamus bonorum nostrorum jacturam, cum Deo illa nobis auferre placuerit; cum illa decrescere permittit providentia, ut alacriter illis nosmet privemus opem ferentes membris Domini, qui sunt egeni. Fides enim, propter quam nihil abdicatur, nihil deseritur, nihilque nobismetipsis negamus, fides est chimerica, quæ nullius meriti esse potest coram Deo, & quam Deus ipse improbat. S. Petri fides fuit plena confidentiæ, quæ effecit ut ille super aquas ambularet, quin timeret periculum cui se objiciebat; ita fides nostra inter hujus Mundi pericula, calamitates, ærumnas, persecutiones, mutationes in mundi cursu inevitabiles stare debet. Fides enim, quæ dubitat, quæ hæsitat non habet hunc firmitatis characterem veræ fidei essentialem. S. Petri fides scandalum passa non est, & hac in re fuit contraria fidei incredulorum Discipulorum, qui Eucharistiæ mysterium intelligere non valentes, inde occasionem arripuerunt Salvatorem deserendi: *Et si omnes scandalizati fuerint in te: sed non ego.* (*Matth.*26.)

Fideles omnes non corde solum, sed etiam ore profiteri tenentur, quod fecit S. Paulus. Si solide salutem nostram certam facere volumus, ex S. Paulo satis non est corde tantum credere, sed & ore confiteamur oportet. Non sufficit nos intrinsecus tantum, & in anima

ma adorare J. Christum veluti Deum nostrum, opus est, ut extrinsecus, & coram hominibus debitum illi testimonium perhibeamus. Et quemadmodum Ecclesia tota innititur confessioni, qua S. Petrus Filii Dei divinitatem agnovit, addo, cujuscumque fidelis salutem fundatam esse debere in confessione, quam de fide sua facturus est; in confessione, quam de naturali, divinoque jure æque necessaria est; in confessione quæ duo præcepta complectitur, alterum negativum (sinite, quæso, me Theologorum verbis uti) alterum positivum, quorum alterum vetat quidquid facere aut dicere, quod in speciem dumtaxat adversetur fidei, quam profitemur; alterum vero, quo jubemur publica hujus fidei documenta præstare, prout occasio poposcerit, ad honorem Dei, & Ecclesiæ ædificationem; quæ officia duo vitari minime possunt, licet de omnibus Mundi bonis, immo vitæ ipsius sacrificio ageretur; in confessione secundum, quam in Dei judicio J. C. teste vel agnoscemur, vel reprobabimur. *Qui* enim *confitebitur me coram hominibus*, (*Matth.* 10.) Salvator aiebat, *confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et e contra: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. P. Bourdaloue.*

In lapsu S. Petri nosmet recognoscere debemus, & quid sæpe nobis accidat. O altitudinem, o abyssum consiliorum Dei! Petrus licet divinitus illustratus nondum erat immobilis. Petra erat super quam ædificanda erat Ecclesia, sed petra hæc nondum habebat necessariam stabilitatem ad Ecclesiam sustinendam. Verbo Sanctus Petrus postquam Jesum Christum confessus est, illum negavit; postquam divino huic homini dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi, ita fuit imbecillis ac infirmus, ut de eodem Salvatore loquens dicere potuerit: Non novi hominem. Deus ita permisit, & hac in re Providentia habuit sua particularia consilia, quæ nobis sunt adoranda. Sed in hoc exemplo nosmetipsos agnoscamus; sexcentis quippe in occasionibus id agimus. Ore quidem Jesum Christum confitemur, sed in praxi quoties illum indignius Petro negavimus? Quoties nos puduit esse Christianos? Quoties ad aras Domini accessimus, quasi nunquam illum cognovissemus? Hoc autem modo propter humanas rationes, modo propter inanem politicam, modo propter affectatam licentiam, modo per scandalum, quo fuimus illecti, & cui nobis non adfuit vis resistendi? in hoc longe nocentiores Petro, quod ibi vita nostra non agebatur. Si enim cecidit S. Petrus, quid nobis metuendum non est, qui eadem sumus imbecillitas? qua cum virium nostrarum diffidentia, quorum judiciorum Dei terrore nos agere oportet? *Idem.*

Frustra hæretici conati sunt eripere S. Petro potestatem, quam illi Dei Filius concessit, & claves, quas illi commisit. Statim ac Jesus Christus Regni sui claves S. Petro commisit, tum primorum sæculorum Hæresiarchæ has illi eripere voluerunt. Et deinde Ariani, Nestoriani, Pelagiani, Donatistæ, Lutherani, Calvinistæ, ac sexcenta monstrorum genera illam oppugnaverunt potestatem, quam Dei Filius illi concesserat, sed coram hominibus quidem pudore suffusi sunt, & affecti contumelia, coram autem Deo nacti sunt damnationem æternam. S. Petrus jam duodevicesimo regnat sæculo jugi, constantique serie Summorum Pontificum legitimorum successorum suorum. Regnat etiam in cælo, inquit S. Leo, suamque supremi Pastoris dignitatem exercet, curis, quas adhuc gerit de Ecclesia sua, & suarum precum auxilio. *Nunc Mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos exhortationibus, & pro nobis orare non cessans.* Donec Mundus vigebit, semper erit Ecclesia, & donec Ecclesia manebit, fideles ponent aras in memoriam hujus Principis Apostolorum, & quotannis congregabuntur festum illius diem celebraturi, quem invocant tanquam Patrem, Pastoremque suum, & primum visibile caput, quod Jesus Christus illi dedit in terris. *P. Texier.*

De amore S. Petri erga Dei Filium. Secundum ordinem, quem nobis S. Paulus indigitavit, fides est omnium virtutum fundamentum, sed caritas earum cumulus est, atque perfectio. *Major autem horum est Caritas.* (1. *Cor.* 13.) Ita Salvator præ reliquis Apostolis uni S. Petro Ecclesiæ suæ regimen commendavit, quia præ reliquis S. Petrus majorem erga illum amorem testatus est. Propter fidem, vel potius propter confessionem fidei illius Jesus Christus illi promiserat claves Cæli, potestatem ligandi, atque solvendi, spiritualem in omnem Christianum orbem jurisdictionem. Sed quomodonam pervenit ad harum clavium, hujus potentiæ, supremæque auctoritatis possessionem? per amorem, & propter amorem suum. Amor igitur, S. Augustinus ait, absolvit, quod fides inceperat. S. Petrus J. Christi divinitatem confitens meritus fuerat, ut Jesus Christus hæc illi promitteret; super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & opera tua, dirigam illam; Et S. Petrus per amorem suum erga Jesum Christum meritus est, ut deinceps promissionem illam ratam haberet, atque præstaret. Hoc nobismetipsis applicemus, ut inde erudiamur. Mundi Salvator, sicut pollicitus fuerat, vult S. Petrum constituere Pastorem gregis sui, Ecclesiæque suæ Caput; ad id autem, quid egit? Non quærit ultra ab hoc Apostolo, quæ de me hominum sententia est? sed interrogat: *Simon Joannis, amas me?* (*Joann.* 12.) Et quin vulgaris amor illi sufficeret, addit: *Simon Joannis, diligis me plus his?* (*Ibidem.*) alios illi indigitans Apostolos. Non quod, S. Chrysostomus inquit, Salvatori opus esset S. Petrum ita interrogare, illius quippe sensus non ignorabat; sed illum interrogat, ut locum præbeat S. Petro ter repetita amoris professione eluendi scelus, quod ter divinum Magistrum suum se nosse abnegans patraverat. *P. Bourdaloue.*

De amore S. Petri erga Dei Filium. Amor, quo S. Petrus Salvatorem prosequebatur, fervens erat, generosus, patiens, heroicus, oppositus amori ignavo, timido, infirmo, & languenti, quem Apostolus hic præsetulerat. Amor fervens; quo igne, quo ardore animatus erat hic Apostolus, cum Jesum Christum prædicabat, cum palam J. C. testimonium perhibebat, cum cogitabat, & exequebatur tot sancta opera pro J. C.? Amor patiens: quid non passus est hic Apostolus tot inter inimicos cum quibus illi dimicandum fuit, inter tot obices, quos superavit, ut J. Christi Evangelium latius protenderet, & ut Ecclesiam suam roboraret? Non frequentes cursus, non longa itinera, non juges vigiliæ, non ærumnæ, non persecutiones zelum illius fatigare, ac deterrere valuerunt. Amor heroicus, cujus vi Apostolus hic constantiam, & fortitudinem habuit se se morti omnium sævissimæ, atque turpissimæ objiciendi. At enim inquies; cruci confixus fuit, & crux non erat amplius turpe supplicium, quia in J. Christi persona facta fuerat gloriæ argumentum. At enim cum ipse Jesus Christus hoc ipsum mortis genus subierit: veri Discipuli non debebant ultra illud intueri tanquam opprobrium, sed velut triumphum. Fateor equidem; sed inde certissimam elicio meæ propositionis probationem: Sanctus enim Petrus non poterat Crucem respicere tanquam gloriæ suæ caussam, nisi quod heroico amore Jesum Christum diligebat. Sanctus hic vir Crucem concupiscere non poterat, nisi quod illa infinita dilectione in Jesum Christum rapiebatur, & quod hoc illi testari volebat, amorem pro amore, Sacrificium pro Sacrificio retribuens. S. Petrus non potuit se beatum putare in Cruce ad J. Christi imitationem moriendo, nisi quod amoris excessus illi desiderium immisit, imitandi hunc Hominem Deum in omnibus, ac in ipsa etiam morte Crucis. *P. Bourdaloue.*

De amore S. Petri erga paupertatem. Apostolorum omnium primus, qui paupertatem fuerit professus, est S. Petrus. Nam præterquamquod primus est qui generosa illa protulerit verba: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*; (*Matth.* 19.) primus ille cum fratre reliquit naviculam, reliquit retia, omnes etiam spes, quas habere poterat, reliquit, ut Filium Dei liberius sequeretur. Si cordis ejusdem affectum quærimus, inveniemus illum æque generose relicturum fuisse magnificas Ædes, ac humile tugurium; relicturum fuisse æque celeriter classem, ac phaselum suum; relicturum fuisse æque gloriosum quodlibet facinus, ac piscationem suam; ita ut cum ejus paupertas nullos habuerit terminos, tanta existunt illius merita, quanta si reliquisset Imperium. Cum enim Dei Filius intus animum scrutetur, & non factis aut verbis immoretur, sed in penitiori voluntatis recessu intentionem illius præscrutetur; æque illi accepti sunt & S. Petrus, qui retia, & S. Paulinus qui opes reliquit suas, ac ad pauperum conditionem se se redegit. Etenim si S. Paulinus re ipsa opes reliquit, non tamen plura affectu, & animi voto reliquit, ideoque par fuit utriusque paupertas. Tamen in hoc præstat S. Petrus, quia primus fuit, qui viam straverit, suoque exemplo alios impulerit, ut Jesum Christum secuturi omnia relinquerent. His omnibus considerationibus addite: sicuti paupertas apud Judæos supplicii loco habebatur, copia vero pro gratia, plurima opus fuisse gratia S. Petro, ut veterem errorem abjiceret, & veritatem adeo recentem, atque difficilem amplecteretur. Sed quantumcumque S. Petri paupertatem adnitamur attollere, fatendum est, hanc toto cælo ea superari mercede, quam est consecutus; quippe invenio, Dei Filium fideles hortatum ad omnia relinquenda, virtutem hanc dignatum fuisse duobus amplissimis præmiis in S. Petri persona, quorum alterum ad præsens, alterum vero ad tempus futurum pertinet. Primum est omnia illi tribuere, qui reliquerat omnia: alterum vero statuere illum in possessione eorum, quæ voto duntaxat reliquerat. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

Merces quam S. Petrus recepit a Deo propter paupertatem, quam amplexus est. Si mirum esset videre S. Petrum imperantem naturæ universæ, morbos ejicientem, ac absoluta utentem potestate in Domini sui ditione; quam mirum erit intueri pauperem hunc in throno cum Domino suo sedentem sententiam ferre in omnes Reges terræ, & sine provocatione de mortalium omnium non quidem fortuna, sed salute ferre judicium! Quam præstat omnia pro Jesu Christo relinquere, & quam gloriosum est pro eodem pauperem esse; quippe dolor, ac miseria sunt gradus, qui discipulos ejus evehunt ad solium. *Idem.*

De S. Petri fide. Si fides unquam admirabiles in homine peperit effectus, hoc in S. Petro potissimum accidisse confitendum est; detexit enim Jesu Christi divinitatem sub humanitatis ejusdem integumento; penetrat æternæ nativitatis ejus secreta, personæ proprietates, ac in terris videt, quod Beati in Cælo intuentur. Ingreditur tanquam S. Joannes in Patris sinum, & antequam S. Joannes diceret: *In principio erat Verbum*, vocibus æque validis, atque perspicuis pronuntiat: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Detegit, quod nondum alii detexerant: *Apostolica fides*, S. Hilarius ait, *nunc primum in Christo naturam divinitatis agnovit*, eisque sua communicans lumina, efficit, ut per os suum loquantur, & ipse fit illorum Interpres: *Petrus os Apostolorum*, S. Joannes Chrysostomus inquit. Itaque Jesus Christus facere nequit, quominus laudes Sancti Petri enarret, ejusque celebret elogium, cum nuperrime Apostolus hic Domini sui elogium fecisset; quoniam illum in terris beatum declarat, ubi aliis sufficit esse fideles, ac testatur carnem & sanguinem nequaquam ei revelasse veritates, quas, opus est, illi a Patre cælesti fuisse revelatas. *Sed Pater meus, qui in cælis est. Idem.*

Status infelix urbis Memoria repetite, quod fuerit Roma Gentilis, antequam

BIBLIOTECA CENTRAL B.A.N.

Romanæ antequã S. Petrus illic sedem suam statueret, & mutatio sibi inde facta.

esset Roma fidelis. Omnes inferorum legiones in alteram illam Babylonem confluxisse videbantur; omnes Dii gentium quos Propheta dæmones vocat, sacrilegum ibi cultum, & thus fatale recipiebant, omnes populorum, quos vicerat, superstitiones ibi efficiebant, S. Leo inquit, religionis monstrum conflatum ex omni genere idololatriæ, quæ erat in terris effusa. Talis Roma erat, cum illuc accessit S. Petrus ibi Ecclesiæ fundamenta positurus. Sed eam admiramini mutationem, quam hujus Apostoli, ejusque successorum zelus produxit. Eversa idolorum cultrix Roma vacuum reliquit Romæ locum. Crux in Capitolio sita fuit tanquam triumphans religionis vexillum, sub quo omnes terræ dimicant populi. S. Petri Cathedra sublata fuit super infinitam Idolorum multitudinem, atque immortale religioni J. C. tropheum ibi constitutum est: Qui præcepit ut spiritus immundus conticesceret coram illis, qui sunt sacra veritatis oracula; indixitque silentium æternum fallacibus oraculis, cum illa quæ Vicarii sui ore proferuntur late in omnem terram se extendant, ac in universo terrarum orbe adorentur. *Abbas du Jarry.*

Idololatria Romæ eversa magnam S. Petro nominis celebritatem comparavit.

Apostole vere digne, S. Augustinus inquit, qui in christiano ædificio esset fundamentum, cui illud incumberet, columna quæ illud sustineret, & clavis quæ illius aditum aperiret. Beatus divini regni janitor, S. Hilarius exclamat, cui creditæ fuerunt claves æterni gloriæ domicilii, cujus decisiones certissima sunt præjudicia, secundum quæ cælorum sententiæ diriguntur. Non sine peculiari Providentiæ consilio postquam Jerosolymæ prædicasti, Romam deductus fuisti, quam ab æterno elegit Deus, ut esset orbis Christiani metropolis, postquam illa facta fuisset universo mundo magistra veritatis. Etenim undenam mystica civitas illa a Prophetis memorata ubi videmus montem summa cum gloria super vertices montium sublatum; undenam, inquam, illa quæ, ut S. Leo inquit, fuerat sedes impietatis, antequam fieret præcipua sedes Ecclesiæ, & quæ superstitiosa pietate ardenter amplectebatur omnes terræ superstitiones, nisi ut tandem Salvatoris Crux gloriosius super idolorum excidium, & fragmina attolleretur? & Dæmon vinceretur in omnibus figurarum monstris, sub quorum specie ibi colebatur, atque tot Ethnicæ cæremoniæ eversæ, profligatæque per veram Religionem, ibi ad triumphi illius ornatum jacerent? *Idem.*

Cur permiserit Deus lapsum S. Petri antequam illum Ecclesiæ suæ Pastore daret.

S. Augustinus ait ipsa etiam Electorum peccata ad prædestinationis ordinem pertinere, & Deum ideo permittere lapsum eorum, ut inde pœnitentiæ eorumdem fructum percipiat. Cum enim præclaræ virtutes profundæ humilitati debeant inniti: Sæpe necesse est, ut pudor, quem peccatum parit, nos revocet ad sensus humilitatis, qua careremus, si semper innocentiæ statum servassemus. Quod si verum est de Electorum omnium peccatis, potissimum de peccato S. Petri verissimum est. Hic enim Apostolus electus ut esset Caput Ecclesiæ, & quatenus talis esset supremus Judex peccantium; magna illi opus erat humilitate, non tantum sibi, sed propter fideles, qui illius Jurisdictioni parebant. Ideo permisit Deus, ut in grave scelus laberetur, ut suæ infidelitatis memoria animo illius jugiter præsens in justitiæ munere exercendo in fratres suos efficeret, ut in lenitatis & clementiæ partes penderet, cum severitas & rigor non essent prorsus necessaria. *Idem.*

Confessio fidei a S. Petro facta & præmiũ inde relatum.

Cum duo præsertim sint fidei effectus; quorum prior est hominis intellectum submittere, qui tumens, ac superbiens vulgo se rerum omnium arbitrum studet efficere; alter vero esse fundamentum rerum supernaturalium, quæ sine hac fide subsistere nequeunt; hæc etiam inter confessionem fidei S. Patri, & præmium quod inde refert, ratio intercedit, ut sicut fides hominis superbiam frangit efficiens, ut ille suis abrenuntiet luminibus, per heroicum obedientiæ actum, qui illum submittit, atque captivat, ut loquitur S. Paulus: videtur Deo semper id curæ fuisse, ut eos attolleret, qui fidem suam insigniverunt, velut Abraham, & Moyses, aliique nonnulli, de quibus sacer Textus verba facit. Verum si quæ unquam occasio fuit, ubi sese submittere, suamque rationem captivare oportuerit, hæc sane fuit in ea confessione, qua Discipulus hic Magistrum suum, & Salvatoris dignitatem professus est. Hactenus enim nemo palam eum fuerat confessus; opus erat, ut Petrus omnium primus & palam profiteretur: cum ceterum intueretur illum hominem obnoxium necessitatibus, atque communibus miseriis æque ac ceteros homines. Hunc sequenti non opes, non honores, non voluptates erant sperandæ; jam manaverat rumor, hunc alterum esse Joannem Baptistam propter vitæ austeritatem; dixerant alii, hunc esse Eliam propter miracula, quæ illius potestatem ostendebant, & vulgatior hominum sententia erat, hunc magnum esse Prophetam; sed ulterius nemo procedebat. Tu ergo, Petre, qui unus fuisti inter primos, qui ipsi adhæserunt, quid de illo putas? Non hæret Apostolus, sed constanter ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Tu es Messias, quem expectamus, & Filius Dei vivi; hoc de te cogito, hoc credo. Præclarum quidem Testimonium, magne Apostole! Gloriosa confessio, & illi, qui eum perhibet, & illi cui perhibetur, qui alteram elicit ab ipsa veritate in honorem suum. Gloriosa confessio! quæ cumulum est gloriæ tuæ additura. Admirabilis fides! obsequii plenissima, quæ initium datura est tuæ præeminentiæ ac dignitati super omnes mortales. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Petrus primus fuit qui J. Christi divinitate fuerit confessus, ac reciproco testimonii quod illi Salvator perhibuit.

S. Petrus primam accendit in terris fidei facem quoad Salvatoris dignitatem: hunc ergo alii sequi debent, & habere pro duce. Quis enim alios in ignotam regionem potest melius deducere, quam qui illam primus detexit? Quisnam potiori jure absente Rege, regno præfici poterit, quam qui minutissima quævis Regis sui, regnique negotia habuerit explorata? Itaque eodem tempore quo discipulus hic confitetur, Magistrum suum esse Messiam, Filiumque Dei viventis; Messias hic, Deique viventis Filius, alterum reddit illi ejus beatitudinis testimonium, quod viva hæc fides illi procuravit: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi*, sed fides, & Patris mei revelatio. Cur autem? quia quo magis fides hæc illius intellectum subjecit, qui est velut hominis caput, quo nomine illum eruditissimus Parisiensis Antistes appellat, quia hæc pars est præstantissima, *Caput mentis*: eo magis ille elevatur, & fit caput Ecclesiæ; quæ dignitas ad omnes transit illius successores; Ecclesia enim eodem semper regitur spiritu, eamdemque semper habet opem, quemadmodum hoc omnibus Christianis credendum est, quandoquidem hoc Dei Filius promisit. Illud vero nobis in rerum præsentia animadvertendum est, dignitatem hanc fuisse præmium fidei, qua magnus hic Apostolus palam Salvatoris dignitatem professus est: cumque hæc sit fundamentalis religionis nostræ veritas, cum S. Hilario dicere possumus, ipsum ex eo temporis momento constitutum fuisse Apostolum eorumdem Apostolorum, docendo illos magnam hanc veritatem; namque propter illam S. Petri confessionem reliqui Jesum pro Deo habere inceperunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Primatus S. Petri a Dei Filio declaratus & ab aliis Apostolis admissus.

Apostoli, ac Discipuli ne contendatis amplius quis primus sit inter vos. Jam lis hæc dirempta est, in S. Petri favorem decisa ore ipsius Veritatis, quæ illum caput vestrum constituit. Contentio hæc venia erat digna antequam illi primatus a communi Magistro, Dominoque adjudicaretur, & antequam Spiritus sancti adventus hos ambitionis sensus extingueret, qui tunc vobis cum reliquis mortalibus erant communes. Sed post adeo perspicuam, authenticamque ipsius Filii Dei declarationem, qua Petrum suum Vicarium instituit; ipsi primi hanc in eo dignitatem venerantur. Evangelistæ huic in Apostolorum nomenclatura primum tribuunt locum: *Apostolorum nomina sunt: primus Simon, qui dicitur Petrus.* Non erat quidem primus ordine temporum; etenim S. Andreas frater ejus ante ipsum ad Apostolatum fuerat evocatus: reliquum igitur est ut primus sit dignitatis præstantia. Hic pro aliis tributum exolvit secundum Judæorum consuetudinem: hic primo Apostolorum Concilio præest: *Petrus cum undecim.* (*Matth.* 10.) Hic judicium profert, & loquitur, tanquam aliis præpositus, *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Pro hoc tanquam pro capite Ecclesiæ totius publicæ funduntur preces, dum in carcere detinetur: huic Salvator tribuit primum Cæli claves tanquam Vicario suo, ut de bonis domi suæ disponat, & licet primatus illius sit adhuc lapis offensionis hæreticis omnibus, fateantur tamen necesse est illum per omnia sæcula ad Petri successores transisse, & ab omnibus Sanctis Patribus hoc fuisse intellectum. *Idem.*

Omnes virtutes S. Petri, sed potissimum fidem imitari debemus.

Dici potissimum de S. Petro potest, illum quatenus Caput, esse debere exemplum reliquis Pastoribus, quemadmodum ipse de se ait: *Forma facti gregis ex animo.* Opus est, ut Pastor sit exemplum gregis sui, & omnium membrorum suorum caput. Sed licet omnia in hoc Apostolo magna sint, & digna, quæ nos imitemur, quamobrem canit Ecclesia, Deum in Sancto Petro esse admirabilem: *In Petro te mirabilem prædicamus*: Unum tamen illud vobis ad imitandum propono, quod fuit caussa, & principium reliquarum prærogativarum illius, videlicet fidem. Hæc illum ad hanc Capitis dignitatem evexit; & hæc eadem fides nos facit membra Ecclesiæ, & mystici corporis Filii Dei: sed sit, oportet, fides viva, & caritate animata non secus ac hujus Apostoli fides, & meminerimus illud S. Pauli verbum, quod ad nostrum pertinet argumentum; opus videlicet esse ut simus *superædificati super fundamentum Apostolorum*, (*Ad Eph.* 2.) sed præsertim Sancti Petri fidem. Nostis enim aliquam rationem requiri inter ædificii fundamentum, & ea quæ superaddenda sunt, ut illud attollatur; quid enim diceretis si super superbarum ædium fundamento domunculæ, ac pastorum mapalia ædificarentur? Hæc sane insignis haberetur amentia tribus antyciris non curanda. Hoc tamen accidit, cum acta, & vita nostra nequaquam respondent fidei, quam accepimus. Elevati sumus, & ædificati super fundamentum fidei Sancti Petri: debemus locum nostrum in Ecclesiæ structura servare, quæ ædificium est Filii Dei: sed heu! non ne accidit, id quod tantopere metuendum nobis esse monet S. Paulus, & quod diligenti examine in die judicii perpendendum est: *Si quis superædificat super fundamentum hoc ligna, fœnum, stipulam, unicujusque opus manifestum erit.* (*1. Cor.* 3.) Si quis superaddit ligna, paleas, ac stuppam, si super hanc fidem, quam a S. Petro accepimus, addiderimus Ethnica opera, vitam mollem, impudicam, voluptuosam, tunc palam fiet hujus operis deformitas, atque severissimo examine expendetur. Quæ tunc nostra erit confusio; cum Petrus sedens super una ex duodecim sedibus veniet judicaturus illos, qui fuerint sanctarum regularum, quas nobis verbo & exemplo prædicavit, prævaricatores? cum veniet judicaturus seniores Israel? cum dicet, se omnia reliquisse, se omnia fecisse, se omnia propter Salvatoris amorem fuisse executum? Quid tunc illi nos corripienti respondebimus? Numquid vel unum diem, vel momentum culpa vacuum ostendere poterimus atque cum sinceritate in Dei cultu impensum? Num licebit

bit nobis ostendere sanctis Evangelii regulis vel minimum adhæsisse, nobis, qui adeo parum laboramus, ut nosmet superemus, & qui adeo inertes sumus, cum aliquod nobis, vel minutissimum Christiani hominis officium obeundum est? Nobis, quorum totum vitæ spatium juge otium est, perpetua temporis jactura, assidua mundanarum rerum cura, quæ occupant vota, omnemque mentis nostræ sollicitudinem exigit? S. Petrus Pastor nequaquam nos e grege suo habiturus est, si nobis satis fuerit vocem ejus audire, eamque secuti non fuerimus: si coram Deo manibus vacuis apparuerimus, non poterit nos ex numero suo esse confiteri; nisi exercere conati fuerimus tot documenta, quæ nobis verbis exemplisque suis commendavit.

S. Petrus post Spiritus sancti adventum prædicavit Judæis Jesu Christi divinitatem, & mox zelum suum ad finitimas regiones extendit.

Quemadmodum S. Petrus Salvatoris divinitatem primus fuerat confessus, ita etiam primus illam populo prædicavit; vix enim cum aliis Apostolis Spiritum sanctum recepit, cum ante alios de cœnaculo egressus pro omnibus locutus est, & fide plenus propter gloriam Magistri sui intrepidus eodem apparuit in loco, ubi ad ancillæ vocem trepidaverat, & prædicavit Jesum crucifixum esse Filium Dei vivi coram illis, qui eum morte afficiendum curaverant; verum adeo felici eventu, ut in ipsa prima oratione converterit tria animarum millia, & mox alia in occasione, quinque millia. Inde hinc camdem fidem, eademque lumina ad proximas civitates pertulit, & veluti caput suos effudit influxus in omnes magni hujus corporis partes. A Judæa duxit initium, ut qui laboribus ac ministerio Præceptoris sui successerat, perficeret, quod ille inchoaverat, donec Deus eum admoneret mystico linteo immundis oppleto animantibus, advenisse tempus, quo nullum amplius habendum erat discrimen inter populos, quos volebat Deus in unam, eamdemque religionem coalescere. Tunc ille tanquam Ecclesiæ universalis caput suos influxus ad terrarum extrema diffudit varias in orbis plagas alios dispergens Apostolos, dum ille Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, & Bythiniæ regna lustravit; & septennio, quo sedem suam habuit Antiochiæ, omnem nascentem Ecclesiam animavit, fidemque in omnibus nationibus statuit, & roboravit. Verum Dei Filius, a quo factus fuerat Ecclesiæ universalis caput, voluit eum in urbe Roma, quæ Mundi caput erat, cathedram ponere: ut dum alios mitteret ad fidem cursibus Apostolicis prolatandam, ipse maneret Romæ, unde quocumque sua emitteret lumina, ut, quemadmodum Sanctus Leo inquit, in hac civitate totius Mundi domina cum nationibus omnibus commercium habente ibi institueretur sedes Religionis, ut inde fidem Divinitatis Domini ad populos omnes extenderet: quod nonnisi sapientissimo Providentiæ consilio perfectum est: ut urbs quæ hactenus fuerat veluti centrum idololatriæ, & quæ ideo omnes terræ populos vicisse videbatur, ut omnes eorum superstitiones adoptaret, sicut idem S. Leo exprobrat illi, fieret sedes hujus Apostoli, ut ab illa initium faceret evertendi dæmonis imperium, & Dei veri cultum instituendi. *Auctor in omnia argumenta &c.*

Romæ hoc Ecclesiæ caput, postquam illam diu rexerat, eique præfuerat, finem vivendi fecit exemplo Magistri sui, eodemque, ac ille, mortis genere; ut enim ipsi nostris, & ipse cruci affixus efflavit animam. Crux Salvatoris vitam dedit Ecclesiæ, opus est, o magne Apostolorum Princeps, ut crux tua illam tueatur, & ut sanguis tuus illam firmius stringat, quemadmodum sanguis illius eidem principium attulerat. Sed in hac Mundi Metropoli gloriosum erit sepulcrum tuum, quale fuit illius tumulus in Jerusalem. Huc terrarum Imperatores, ac reges accendent thus, ac munera sui tuis cineribus oblaturi, quemadmodum inquit S. Augustinus de Constantino Magno: *Ad pedes Piscatoris accedit Imperator.* Carolus Magnus procumbens omnia deosculabitur vestigia, quæ ad tuum Templum adducunt: Henricus coronam ad tuos pedes projiciet: Stephanus non nisi per te regnum assumere volet, aliique sollemni se adigent Sacramento ad propugnandam, tuendamque Ecclesiam illam, quam Salvator tuis curis subjecit. Quæ igitur nobis inde haurienda est consolatio, & certitudo in tanta sectarum, Hæresum, novarumque Religionum multitudine, subinde insurgentium, & ad hanc usque diem tot Christianitatis regna occupantium, scire, non esse in Ecclesia, cujus caput a Dei Filio constitutum est, & in fide illius, qui in fidei suæ præmium factus est petra fundamentalis ejusdem? Si mordicus huic petræ inhæreo, moveri nequeo, quippe innitor eidem firmitati, quæ Dei verbum est. Extra erroris aleam positus sum; quoniam omnes inferorum portæ contra illam non prævalebunt. Certus sum me esse in religione vera, quoniam ei pareo, quem Deus ipse illius visibile caput constituit. Quam ob rem unica ratio nunquam in fide aberrandi est, immobiliter firmæ huic petræ adhærere, & nunquam ab hoc Capite recedere: ubi enim fulcrum hoc semel disjectum eversumque fuerit; nihil superest, quod obsistere valeat, quominus error quocumque irrepat, & simul Ecclesia evertatur, & corruat. Undenam, quæso, fit, ut hæretici semper fluctuent, & hodie alia, cras vero alia ratione loquantur; modo hunc credunt articulum, modo variant, quod toties illis fuit exprobratum? Inde profecto quod fides eorum non innititur soliditati petræ hujus, sed mobili arenæ proprii sensus, & Spiritus sui particularis. *Idem.*

Quemadmodum S. Petrus quatenus Ecclesiæ caput obtinuit plenitudinem potestatis, & auctoritatis in Cælo, & in terra; habuit quoque influxum in omnia hujus corporis membra, quoniam hæc potestas, & auctoritas illi collatæ fuerunt, ut primus illas exerceret, mox vero eas aliis Supremis Pontificibus communicaret, illas ita usque ad sæculorum finem perennans, ut auctoritas omnis, quæ in Ecclesia est, nonnisi unione, quæ cum Sancti Petri auctoritate intercedit, proveniat. Non loquor autem de potestate, in hunc materialem orbem, in elementa, ipsamque mortem, quæ videtur subjecta fuisse fidei S. Petri quatenus homini peculiari; & ideo hæc nequaquam transiit ad Summos Pontifices illius successores, neque erat necessaria; verum de ea loquor necessitate, quam recepit quatenus caput Ecclesiæ, de spirituali auctoritate, quæ dignitatis officio inhæret, de absoluta, & suprema potestate utrobique immensa propter jurisdictionis suæ extensionem. Dixi autem absoluta, & suprema, quod nonnisi post ipsum Dei Filium dixi, qui hanc illi communicavit: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* (*Matth.* 16.) Hæc ligandi, solvendique, dimittendi retinendique peccata, potestas, idque sine ulla appellatione, quia sententiæ ab eo latæ statim in Cælo subscribitur; plena & integra potestas est sine coarctatione, & sine exceptione, quæ una proprie Dei unius est: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* (*Luc.* 5.) Verum erat; potestas hæc ad illam usque diem uni Deo erat reservata; sed nunc Dei Filius eam communicavit illi, quem post se visibile Ecclesiæ caput constituit, quia sicut illius obtinet sedem, ita opus est, ut in illius succedat auctoritatem. Possunt quidem Reges nocentibus pœnam remittere, Innocentes vero eos facere non possunt. *Idem.*

S. Petrus licet meritis, abundans, dignitate, potestate, virtute cumulatus, exemplum est, quod omnes possunt imitari.

Licet nonnullorum Sanctorum vita quasdam ob circumstantias vobis non imitabilis videretur, cum illi adeo assurgunt, ut in illos oculum non possitis amplius intendere, ecce tamen unum, qui licet per primatum suum in Ecclesia, per potestatis suæ magnitudinem, suique characteris præstantiam altius sublatus fuerit, videtur tamen his honoribus auctus, ut mores nostros castiget, nobisque exemplo sit in praxi omnium virtutum. Petrus ad Apostolatum evocatur non solum, ut alii fratres: sed præficitur illis, eisque non oves tantum, sed Pastores etiam subjiciuntur, S. Bernardus ait. Ille non solum, ut alii Apostoli curam habet aliquot Ecclesiarum, sed est, inquit S. Cyrillus, Princeps Ecclesiæ totius. Universalis est nauta, S. Chrysostomus ait, nostræ præsidens navigationi, ac pro omnibus gubernaculum tenens. Quorsum autem istud? ut nobis sternat salutis vias, ut nos exemplorum sanctitate ad Cælum perducat; ut nos (dicamne?) propriis lapsibus confirmet: *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Lapsus quidem est ille, sed *felicius cecidit, quam alii steterunt*, S. Ambrosius inquit. Turpiter Magistrum, Dominumque suum negavit: sed Magister hic illi dignos sua divinitate sensus immisit, & pro fidei ipsius confirmatione preces effudit. Sibimetipsi Cælum suo scelere clauserat: Sed Jesu Christo satis non fuit illud ipsi aperire, voluit etiam ejusdem claves ei credere, ut aperiret illud iis, qui eum in virtutum exercitatione sequerentur. Nonne hinc suppetit unde nobis animos faciamus, & spem faciamus? *Historica Sanctorum Elogia.*

Omnino necesse est in Ecclesia visibile adesse potentiam sub qua fideles omnes redigantur.

Certum est in Ecclesia aliquam esse debere potentiam visibilem, cui fideles sese subjiciant, ut norint quod verum est, & quod secus: potentiam supernis illustratam nominibus, quæ illis sacras explicet scripturas, earumque verum sensum illis aperiat: potentiam divinitus institutam, ad auferendas contentiones omnes, quæ pertinent ad fidem, & cui adhærendum est, tamquam centro omnis veritatis, & unitatis. Si enim in lege veteri præter Sacerdotes aderat Supremus Judex ad quem caussæ majores afferebantur, & ex cujus ore sententia extrema expectabatur; Ecclesia, cujus status melius, quam Synagoga ipsa, constitutus est, Caput suum non est habitura? & privato cuilibet jus erit se ipsum Judicem in propria caussa constituendi, confitendo, & negando, credendo, & rejiciendo quidquid sibi placuerit? Hæc autem visibilis potestas primum, ac potissimum collata fuit Petro, ac Summis Pontificibus successoribus ejus; Petro, inquam, per Jesum Christum constituto Ecclesiæ universalis Pastori, atque ovibus, agnisque pascendis præposito: Petro electo pro immutabili fundamento, cui innititur veritas, quo nutante, ac vitium faciente, Inferorum portæ prævalerent Ecclesiæ, quod numquam futurum idem spopondit Jesus Christus Petro, cujus personam referunt Summi Pontifices, & quia Magistro suo tantum potestatis accepit, ut quidquid illi judicant, ac statuunt, non aliud sit quam emanatio, & jugis successio gratiarum singularium illi concessarum, cui Salvator dixit: *Et tu conversus, confirma fratres tuos. Ibidem.*

Liquet, quod quo tempore incœperint hæreses: S. Petri fides constanter perseveravit ab ipso Ecclesiæ ortu; illi adhærere debemus.

Non defuerunt tempora, quibus nondum erant Arius, Nestorius, Pelagius. Notantur sæcula, & anni, quibus VViclefi, Joannes Hussitæ, Hieronymi Pragensis, Calvini, atque Lutheri errores suos serere inceperunt. Patres vestri ante harum calamitatum tempora veram tenebant doctrinam, & Sancti Petri communioni adhærebant: Cur ergo aliam ab illis fidem habebitis, & novum loquendi genus, a quo pridem abhorrebatis? Gratias tantum agite Deo, quod in Ecclesiæ sinu vos innutrierit, extra quam nulla salus. Summa diligentia tuemini Apostoli nostri fidem, & sicuti hæc vos nequaquam justos efficeret, nisi per dilectionem operaretur, pro fidei vestræ exemplo assumite Sancti hujus Apostoli fidem, cujus ma-

BIBLIOTECA CENTRALA

magna erga J. C. dilectio vos in vestra statuere debet, & confirmare: *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, *Historica Sanctorum elogia*.

Signa, & testimonia amoris Sancti Petri, erga Salvatorem.

Ita est, S. Petrus amat Jesum Christum: *Tu scis, Domine, quia amo te*; & quia hunc amat, abrenuntiat omnibus bonis, omnique bonorum spei, & alacriter amplectitur labores, & ærumnas gravis ministerii, quin furor Judæorum, crudelitas gentium, compedes, carceres, persecutiones, minæ, terra, infernus cohibere valeant ad breve temporis spatium impetum zeli sui in manifestatione divinitatis Christi J., & prædicatione Evangelii. Quia Jesum Christum amat, primus ingreditur in illius sepulcrum, primus loquitur de illius Resurrectione, & gloria apud incredulam gentem, & cæcas mentes, ex quibus tamen uno sermone tria millia convertit. Quia Jesum Christum amat, ubi de illo verba fieri audit, omnium maxime sollicitus, & ardentissimus est. S. Joannes dicit illi: *Magister adest*, statim ipse prosilit in Mare, quin ullum reformidet periculum, quin navim ad litus accedere sinat. Satis est, sciat magistrum adesse, ut se in fluctus projiciat. Ardor fidei, & amoris impatientia efficiunt, ut periculi obliviscatur, S. Ambrosius ait: fides quidem efficit, ut Magistri sui divinitatem agnoscat, amor vero illum impellit, ut qua brevior est via, licet periculosior, ad illum contendat. Fides agit per amorem, & amor fide confirmatur: fides, & amor, duæ præstantes Apostoli nostri virtutes, quæ palam ostendunt, non corpus illius, cujus naturale pondus in maris imum illud detraxisset, sed suam agilitatem, ac sollicitudinem effecisse, ut ille super aquas incederet. Quid vobis dicam de aliis periculis, quibus amor idem illum objecit? De itineribus, laboribus, prædicationibus, vigiliis, carcere, & catenis, de crudelitate, qua illum Herodes excepit, ut per hoc Judaicæ gentis amorem sibi conciliaret, imperans, ut manibus, pedibusque vinctis conjiceretur in obscurum carcerem, & de tranquillitate, qua requiem carpebat in eo caliginoso loco? Omnia illius externa supplicia non minimum quidem officiebant interiori animæ suæ paci: adeo se beatum putabat, si inveniret, quod præ ceteris optabat, videlicet occasionem vitam suam abjiciendi morte propter Deum, quem magis se ipso diligebat, qui illum honoribus, & beneficiis cumulaverat, & qui seipsum non solum pro se confratribusque suis Apostolis, sed pro universo Mundo tradiderat. *Ibidem*.

Cur divina Providentia voluerit, S. Petrum sedem suam Romam transferre.

Statim ac Apostoli gratiæ plenitudinem acceperunt, sibique omnes Terrarum nationes partiti sunt, Spiritus Sanctus, inquit Sanctus Leo, misit S. Petrum Apostolorum Principem & Judæorum facem in Mundi totius Metropolim: Ecclesia enim in Imperio fundari, non autem Imperium in Ecclesia debebat; effecit, ut omnem inferorum furorem sustineret; jussit eum omnes Asiæ, Ponti, Bythiniæ, Alexandriæ, Antiochiæ Ecclesias relinquere, ut Sedem suam constitueret ibidem, ubi Romani Imperii sedem posuerant, volente Deo in Regni sui super terram institutione sequi politicarum rerum rationem, ut Evangelium quod omnibus terrarum populis erat nuntiandum, efficacius, faciliusque in omnes Provincias, ex quibus Imperii sui corpus coalescebat, effunderetur. Itaque dici potest, magnam illam urbem, quæ Regina gentium, & mater populorum vocabatur, matrem esse omnium Ecclesiarum, idque non solum propter magnitudinem, & antiquitatem suam, quod asseruerunt Hæretici, sed propter Jesu Christi institutionem, cum hic dixit S. Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Veritatis hujus ratio desumitur etiam a duabus prærogativis, quas Mundi Salvator Principi Apostolorum contulit, & quas Apostolus idem ad suam Sedem transmisit, & quas Sedes illius beata traditione ad nostra usque tempora servavit. Prima est, cum Dei filius Romanam sedem unitatis, & communionis Ecclesiarum omnium effecerit; opus fuisse, ut illi doctrinæ & fidei ejusdem, quæ omnes simul unit, omnesque cum J. C. conjungit, communicaret infallibilitatem. Altera est, cum S. Petri sedes sit Fidei regula, quæ omnium Ecclesiarum religionem constituit, opus fuisse, ut ille usque ad mundi finem servaret hanc eamdem doctrinam & fidem, quam Mundi quidem Salvator S. Petro pollicitus est. Sanctus autem Petrus ad omnes successores transmisit, & qua per summos Pontifices de manu in manum tradita ad nos usque beata successione pervenit. *Auctor recens*.

Fervens S. Petri zelus pro Dei cultu.

Quinam fuit S. Petri zelus pro Salvatore, cum videns illum desertum a pluribus discipulis, qui ex ejus verbis scandali occasionem sumpserant, cum dixerat illis futurum, ut nisi carnem comederent, & sanguinem Filii Hominis biberent, in se vitam minime haberent; Quinam, inquam, fuit Sancti hujus Apostoli zelus cum adorans ejus Mysterii, quod nondum mente assequi poterat, altitudinem, arctius quam ante J. C. adhæsit, aliis secedentibus, quorum desertionem responsione fidei & caritatis plenissima reparavit: Quo ibo, Domine? *Verba vitæ habes*. Cum Salvator monuit Apostolos futurum ut omnes scandalum paterentur in ipso ea nocte, quæ ejusdem passionem præcessit, & futurum ut Pastore percusso omnes oves disperderentur; S. Petrus palam profitetur, etiam si ab omnibus relinqueretur, traderetúrque, se tamen fidelissime eidem adhæsurum. Profecto illum sua virtus destituit; sed præter verecundiam, qua ob scelus suum suffusus fuit; arctius J. C. deinceps adhæsit, crimen per ea omnia, quæ ab eo fieri potuerunt, reparavit; & sollemnis promissio fidelitatis, quam fecerat, orta potius erat ex ardenti, & generoso zelo, quam ex præfidenti confidentia, quam in propriis viribus haberet; ideoque, meruit ut Salvator, in illum benignos oculos converteret, qui pœnitentium omnium contritissimus fuit, atque tristissimus. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum*.

Mutatio S. Petri a S. Augustino descripta. *Homil. 92. in Joann.*

Visum tunc in S. Petro fuit, quid abundans gratiæ Spiritus sancti possit effusio. Cor illud antea frigidum ita inflammavit, ut palam testimonium redderet illi, quem paullo ante abnegaverat, illud aperuit os, quod metus veritati clauserat, illudque summo cum emolumento aperuit: illi enim omnes, super quos Spiritus sanctus descendit, receperunt donum loquendi omnia linguarum genera; sed S. Petrus fuit solus, vel omnium primus, qui *solus præ ceteris promptus emicaret* elata voce prædicans Jesum Christum Judæis quibus circumdatus erat, & Resurrectionis ejusdem gloria confundens eos, qui ipsum necaverant. Si quis, Sanctus Augustinus ait, summa cum voluptate frui vult spectaculo adeo sancto, & jucundo, legat librum Apostolorum, videbit illic non sine admiratione prædicari Jesum Christum ab illo, a quo cum dolore eumdem abnegari vidit in Evangelio; videbit cor istud adeo ignavum plenum constantia; linguam illam timoris mancipium plenam libertatis, & confidentiæ efficere, ut Jesum Christum tria millia inimicorum ora confiteantur, linguam illam, inquam, quæ ter illum negaverat, quia ancillæ verbo resistere non poterat. Verbo; gratia in illo ea plenitudine effulgebat, veritatis verba tantum habebant ponderis, & auctoritatis in ore ipsius, ut homo hic, qui paullo ante trepidaverat, ne a Judæis una cum J. C. morte afficeretur, modo terret Judæos Jesu Christi inimicos, non exiguum eorum numerum convertit, & eos, qui Salvatori vitam abstulerant, paratos efficit, ut propter ejusdem amorem vitam suam sacrificent. *Recens Auctor*.

S. Petri humilitas.

S. Petri humilitatem vides non minus quam magnam illius fortitudinem emicare, hic ignis, hæc celeritas, hæc agendi, loquendique fidentia, quæ hactenus in illo visa est, deinceps statim evanescunt, ait Origenes, & ubique videmus spiritum adeo humilem, ac moderatum, adeo promptum aliis cedendo, ac sese coram omnibus humiliando ut vix inde agnosci possit Sancti Petri ingenium, & gradus, quem in Ecclesia super ceteros obtinebat. Semper primus prodibat, cum opus erat magnos subire labores, atque pericula pro Ecclesiæ utilitate; his occasionibus exceptis, omnia in communi operetur, quin peculiarem honorem appetat, ejusque humilitas in hujusmodi circumstantiis ostendebat, alacritatem, & promptitudinem, quam in aliis testabatur, non esse amplius effectum caloris sui naturalis, sed caritatis, quam Spiritus sanctus in cor ejus infuderat. *Auctor recens*.

S. Petrus primis fidelibus virtutis amorem inspirat.

Quinam in virtute progressus non fiebat sub tali Duce, S. Petro, eo potissimum tempore, quo Filii Dei sanguis recens effusus erat? Tunc Sanctus hic Apostolus fideles hortabatur, ut venderent quidquid possidebant, collatamque pecuniam omnibus pro singulorum necessitatibus distribuerent, volens, omnia quæ a fidelibus possidebantur esse communia. Ita S. Petrus docebat eos omnem opum suarum curam abjicere, ut liberius Jesum Christum sequerentur, & res perituras generosius contemnerent, quam prisci fecerant Philosophi, quod vix duo, vel tres ad summum ex Ethnicis illis cum aliqua fortitudinis specie fuerant executi. S. Petrus tria mortalium millia hoc docet, quos major aliorum numerus non multo post imitati sunt. Hoc etiam ex D. Chrysostomo, longe sapientius, atque sanctius præstiterunt, quam illi, qui mera furentes insania agros incultos relinquebant, vel opes suas in mare projiciebant, quin ex illis quispiam proficeret. Bonis se exuentes suis arbitrabantur, majora sibi a Domino reservari. Quæ felicitas erat in hac amicorum societate versari, Duce Petro, (*In Act. homil. 7.*) & non invidiam, non probra, neque contemptum reformidare! veluti pueros sese aliis regendos tradere, omnem duplicitatem, nequitiam, dolum, & frigida illa verba meum, ac tuum perhorrentes! Pastoris caritas cum ovibus suis conjuncti hanc in eorum cœnis pariebat lætitiam: *sumentes panem cum gaudio, & lætitia Spiritus sancti*. (*Act. 7.*) Quod suum erat tanquam fratrem suorum spectabant, quod vero fratrum tanquam suum. Ita dives fastu, pauper verecundia carebat, omnesque invicem sese mutua dilectione complectebantur. Numquid citra voluptatem cogitari potest status adeo felix, & sanctus? Ita persecutionum metus illis mœrorem afferre non poterat. *Idem*.

S. Petrus non judicat de Salvatore, ut ceteri hominum, sed ex Patris revelatione nobisque fidem suam tanquam filiis in hæreditatem relinquit.

Jesus Christus Apostolos suos interrogans, quid de ipso sentirent, quin animum illi adjicerent, a quibus Elias, Joannes Baptista, vel aliquis ex Prophetis habebatur, ostendit, prudentis non esse vulgaribus opinionibus inhærere. Itaque vult, quod a nobis credendum est, quæri in Ecclesia doctrina, & ex ore principis Pastorum hauriri. Unius Sancti Petri est, tanquam Capitis, & Exempli omnium Apostolorum pro omnibus, & omnium nomine loqui. Unus loquitur Petrus ad fidei unitatem, unitatem Apostolorum, unitatem Ecclesiæ, quam exhibet, unitatem personæ J. C. indigitandam. Si Salvator esset adoptivus tantum Patris Filius, S. Petrus nihil novi nos docuisset; & fidei professio, quam edidit, tantopere a J. C. celebrata non fuisset, nisi ille naturalem Patris Filium declarasset, eidemque potentia, & sapientia parem; qua in re in antecessum Arianorum impietatem confundit. Eamdem

cum

cum S. Petro fidei professionem faciamus. Tu illi, Domine, os aperuisti, & nos per illum locuti sumus; hodie eodem fidei sensu adoramus te, & confitemur, Domine, te verum Deum, & verum hominem esse, Filium Dei, & Filium hominis, ab æterno genitum a Patre sine matre; natum in tempore ex Virginis alvo sine Patre, in unitate personæ Divinæ utriusque naturæ proprietates servari. Denique cum Apostolo tuo profitemur te Christum esse, Filium Dei vivi; quas veritates non caro & sanguis, sed Pater tuus cælestis revelavit Petro, qui nobis tanquam filiis in hereditatem reliquit. *Auctor recens*.

Cognitio quam habemus de J. C. vera nostra felicitas est; cetera nihil sunt.

Insignis nostra felicitas est Jesum Christum cognoscere: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum verum; & quem misisti Jesum Christum*; (*Joann. 17.*) hanc autem cognitionem Salvator in nostro laudat Apostolo. Non ait: beati illi, qui summo loco nati sunt, optimo ingenio, opibus, potentia, honoribus cumulati; quia nullum ex his bonis apud Deum hominis felicitatem minime constituit; sed gratiæ bona, & Patris cælestis amor nostram veram felicitatem efficiunt. Felix Apostole, qui vitam tuam non transegisti in periturorum, fluxorumque bonorum perquisitione, sed in Salvatoris dilectione. Inde fluit tua felicitas, tua præeminentia, tua virtus, qua gratia ad Ecclesiam ædificandam; ex fide tua, quam Ecclesiæ fundamentum habemus, ista communis fidelium mater adepta est immobilem hanc firmitatem, contra quam inferi portæ nunquam poterunt prævalere. *Auctor recens*.

De S. Petri fide, ac diffidentia.

Quæramus totam Principis Apostolorum vitam cognoscere, æque ac illam celebrare, ut gratiæ J. Christi debita laudum præconia tribuamus, quæ tot tantaque in simplici Piscatore operata est: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas* (*Matth. 14.*). Jesus Christus in præmium ejusdem fidei, & caritatis hanc illi gratiam largitus est; verum cum venti metus parumper fidei ardorem imminuisset, prope erat, ut submergeretur, nisi J. C. illum manu sustinuisset; qua suffultus super aquas incedere perrexit. Oportebat, S. Augustinus ait, (*Serm. 76.*) ut hic Princeps Apostolorum, qui Ecclesiam universam referebat, fortes simul cum infirmis, in fide sua ostenderet, quid per J. C. possimus; & in timore suo quid ipsi ex nobis valeamus, ut omnes intelligerent, neminem a Deo recipere vim, qua indiget, nisi qui sentit, se ex se tantum viribus omnibus carere. *Sermo Manuscriptus*.

S. Petrus Mundi caput in Caput Christianæ Religionis convertit.

Ubinam hodierna die est florentissimum illud Romanorum Imperium, quod ditiones suæ fines in extremas usque terrarum plagas proferebat? Corruit; & super ejus rudera Salvator Petri ministerio suum extulit Imperium ad finem usque sæculorum mansurum. Sanctus Petrus ergo tanquam Imperator Antiochia egreditur Romam oppugnaturus; nullos habet socios, nullum commeatum præter illum, quem suus illi Magister permiserat. Sine duce, sine præsidio, sine auctoritate, sine pecunia, omnibus illum odio habentibus, & persequentibus doctrinam prædicans, quam divites, eruditi, Philosophi horrebant. Sanctus hic vir solus est contra omnes; sed cum illo Deus est; certa igitur victoria est. Roma sub illius ictibus ruit, eique subjicitur. Adorat Deum, quem persequebatur, urit idola, quæ venerabatur, & civitas, quæ caput fuerat erroris, fit Caput Religionis. Ibi Sanctus Petrus arcem habet in Capitolio; ibi Ædes suas posuit, ibi ex delubrorum ruderibus Templum illi positum fuit, & insignis illa urbs Cæsarum simulacra conflavit, ut in locum eorum pauperis Piscatoris stemmata, nomen, & imaginem ponerent. *Auctor recens*.

J. C. a Pastoribus exigit eumdem amorem, ac a S. Petro.

S. Bernardus docet Jesum Christum a Pastoribus non secus ac a S. Petro triplicem amorem exigere, & quærere, ut ovibus suis triplex pabuli genus præbeant, quandoquidem ter S. Petro dixit: amas me? Atque ter addidit: *Pasce oves meas*. Exegit a S. Petro Salvator amorem tenerum, amorem sapientem & illuminatum, amorem fortem & strenuum. S. Petrus nonne tenere Salvatorem amabat, qui cum futurum dixisset, ut in cruce animam efflaret, respondit dicens, absit hoc, Domine. Sed amor ejus nondum erat informatus scientia, quamobrem Dei Filius dixit illi: *Vade post me, Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt*. (*Matth. 26.*) Amor illius melius illuminatus erat, cum Dei Filio dixit, morior pro te, sed nondum vim habebat necessariam, ut quod promittebat exequeretur. Ter igitur ab eo Dominus petit, amas me? videlicet utrum amaret illum tenera dilectione, ut amantissimam gereret ovium suarum curam; utrum illum sciret diligere, ut eas secundum supremi Pastoris regulas regeret; utrum amaret eas fortiter, ut si opus esset, vitam pro illis impenderet. Visne, S. Augustinus ait, Jesum Christum amore generoso diligere? ama illum magis, quam bona tua; magis, quam cognatos, & amicos; ama illum magis, quam te. Frange illis, qui tibi parent, panem verbi, illum convertens in lac pro infirmis; solidam præbe fortibus escam; Doctrinam tuam robora exempli tui vi, & omnibus eorum necessitatibus consule. *P. Chauchemer in Sermone Manuscripto*.

Compendia privilegiorum S. Petri secundum S. Bernardi mentem.

Compendiosius omnia Principis Apostolorum magnalia, & Privilegia vobis exhibere nequeo, neque sublimiorem vobis eorum conceptum astruere, quam illum vobis exhibens veluti lapidem fundamenti, quem elegit Deus ad Ecclesiam ædificandam. Et sane quid est S. Petrus si possum, uti posse certum est, illi ea applicare verba, quæ olim S. Bernardus de quodam ex successoribus ejus scripsit? Est summus Ecclesiæ Sacerdos, per Abel primatu, Noe regimine, Abrahæ Patriarchatu, Melchisedech Ordine, Moysi auctoritate, Samueli judicandi potestate. Quid dico? par etiam Salvatori caractere: *Etiam unctione Christus*. Sed quænam est origo omnium horum titulorum, qui tantam illis afferunt gloriam? vel potius quinam est titulus augustus, qui compendiose hos omnes complectitur? nisi ille, qui eidem gloriam impertit; ut sit lapis fundamentalis Ecclesiæ. Si enim humanæ interest prudentiæ, cum domus ædificanda est, illius jacere fundamenta super firmam, solidamque petram, ut ædificium nullis temporum injuriis labefactetur, quemadmodum Salvator docet in Evangelio: dubitandum non est, quominus ipse consilium hoc adimpleverit in Ecclesia extruenda; quoniam spirituale hoc ædificium non posset usque ad sæculorum finem subsistere, quemadmodum ille nobis pollicitus est, nisi ejus fundamenta posita fuissent super immobilem Petram, cui omnes inessent qualitates necessariæ, ut omnibus resisteret potestatibus, quæ illam possent labefactare. *Sermo Manuscriptus*.

Fides Apostoli Petri, in omnibus vitæ ipsius actibus emicat.

Si Sanctum Petrum intueor in piscationis labore, in illo deprehendo fidem Abrahæ, quia J. Christi Verbum inducit ipsum in spem contra spem maximam, videlicet piscium capturam faciendi, postquam tota nocte laborans nihil ceperat. Si illum in mari considero, super aquas incedentem, & de hujus elementi inconstantia per constantiam fidei triumphantem: *Audeo dicere*, S. Hieronymus inquit, *super aquas non Petri corpus ambulasse, sed fidem*. Verum quidem est medio in cursu, illum dubitare cœpisse, ac timuisse, ne mergeretur: sed in hoc fides illius magis eluxit, teste S. Maximo; quia in periculo exclamavit: *Domine, salva me*, atque ita ostendit, se quidem de viribus suis diffidere, non autem ambigere de J. Christi potestate, qui verbo maris fluctus poterat sedare. *De se diffisus est, non de Deo dubitavit*. Hunc eumdem Apostolum in Caiphæ Prætorium secutus, ibi admiror Dei sapientiam, qui per vias quæ humanam fallunt prudentiam, consiliorum suorum finem assequitur. Video Deum permittere, ut hæc fidei columna quatiatur, fortius deinde confirmanda; at sine figuris loquamur. Video Deum permittere, ut S. Petrus sit infidelis Domino suo, eumque neget ad hoc ut fides ejus post lapsum esset constantior, & ille post lacrimas, quas pro sua effudit infidelitate, esset fidelior. Ego autem qui peccatum ejus intueor tantum secundum Providentiæ consilia, audeo dicere de illo, quod de Adæ peccato dicit Ecclesia, culpam hanc felicem fuisse, necessariam, atque utilissimam. Deus enim hoc ideo permisit illum ad magis magisque confirmandam fidem illius; cum Apostolus crimen suum cum fenore reparaverit, ut S. Augustinus ait. Idem est de S. Petro ac de fœderis Arca; quæ de domo Abinadab cum transferretur in domo Obededom nutavit, ac labentibus jumentis a quibus deferebatur, prope fuit, ut laberetur: Sed ex S. Gregorio, non pendebat Arca, nisi ut magis, magisque confirmaretur: *Inclinatio illa fortitudinis erat, & casus videbatur imperitis*. *Idem*.

Fortitudo, & constantia S. Petri.

Cum Deus hominem sua induit fortitudine, hic potest omnibus inferorum potestatibus strenue resistere. Et sane visusne fuit unquam animus firmior, & cor magis intrepidum, quam cor S. Petri? Prohibetur illi J. C. nomen Jerosolymæ prædicare; constanter ait se Deo obtemperare, hominum vero imperia Dei mandatis obstantia contemnere. Quæritur ab eo, quanam vi tot miracula operaretur: respondit Christum Jesum eorum auctorem esse. Præcipitur illi, ne ultra illius doctrinam tradat; reddit, ipsum facere non posse quominus veritatem, cujus testis est, nuntiet. Herodes, ut Judæis morem gerat, illum detrudit in carcerem; catenæ quibus obruitur adeo modicum illi dolorem pariunt, ejusque animum adeo leviter afficiunt, ut tranquille in suo carcere dormiat, donec Angelus ad illum liberandum accedit. *Sermo Manuscriptus*.

S. Petrus pro Dei gloria adeo fortis extitit in Jerusalem, ut millies martyrium passus fuisset, nisi Deus sanguinem ejus destinasset, ut esset gloria immortalis Romæ. Jerusalem, S. Ambrosius exclamat, satis illustris es, quandoquidem fuisti theatrum Passionis Domini, & oriens universus satis erat felix, quod ejus sanguine fuerat irrigatus. Opus erat ut Princeps Apostolorum in Occidente pateretur, ut hic non minus gloriosus esset effusione sanguinis ipsius, quam fuerat Oriens Dominici Sanguinis effusione. Hæ sunt locutiones hujus Doctoris Ecclesiæ. Perge ergo, Sancte Apostole, in hanc Mundi totius Metropolim, ut illius gloria fias, non secus ac totius Occidentis. Accingere fortitudine ad omnia pericula obeunda, & neque Ethnicorum sævitiam, neque Neronis crudelitatem vereare. Illuc Sanctus hic vir fertur, columbæ alis illuc advolat, & post plura prælia contra inferni potestates, ibi suos coronat labores tanquam fidelis Salvatoris imitator, subiens æque ac ille Crucis supplicium. In ejus martyrio unum dumtaxat animadverto, quod illud a J. C. secernit, diversum scilicet corporis situm, quo confixus fuit cruci. Hoc enim ostendit, ex Tertulliani sententia, quod humilis hic, & generosus discipulus voluit *ferre pœnam, noluit æquare triumphum*. *Idem*.

Inconcussa Ecclesiæ firmitas S. Petro innixa contra portas inferi, &c.

J. Christi Verbum palam adimpletum fuit inconcussa firmitate, qua S. Petrus, ejusque successores prohibuerunt, ne portæ inferi adversus Ecclesiam prævalerent, & ne hæreses fatalis illa janua, unde omnis dæmonum rabies contra Romanam erupit Ecclesiam, illam infecerit. S. Petri Cathedra

est

BIBLIOTECA CENTRAL

huic Apostolo promissis ipso Veritatis oraculo. est invictum Religionis propugnaculum, unde egrediuntur tonitrua, & fulmina, quæ fuerint monstra germinantia ex errore, quem in abyssis suis evomit infernus ad Salvatoris Sponsam lacessendam. Hæc illa est rupes immobilis, in quam confracti sunt toties exundantes persecutionum torrentes, hæreses, & schismata. Hic ille sacer est limes, in quo Dei manibus invisibilibus notis inscripsit, iratum mare obsequi imperanti. Omnis dæmonum rabies, omnis tyrannorum furor, omnes hæreseon conatus infringere non valuerunt hoc vallum, & filius Ecclesiæ rebellis illud audet transilire; spiritus indocilitatis in Christianos effusus efficit, ut spiritus submissio, tanquam infirmitatis nota habeatur. Sed fatendum est in iis, quæ pertinent ad obedientiam capiti Ecclesiæ, perquam raro peccari, cum longius extenditur, & semper adeste periculum, cum nimis arcti limites ei tribuentur. Præcautio necessaria, ne suboriatur quid novi, hæc est, Ecclesiæ relinquere examen, atque centuram, & præstolari, donec Oraculum, quod certissimus est fidei nostræ Canon, pronuntiaverit, ut secundum illius decisiones instituamus judicium, quod est a nobis faciendum. *Abbat du Jarry.*

PRO S. PAULI PANEGYRICO.

MONITUM.

TOT tantaque de S. Paulo Apostolo dicenda sunt, ut tot fieri possent Panegyricæ Orationes, quot mirabilia fecit, & quot virtutes exercuit. In adeo late patentis argumenti amplitudine, in quo difficilis est electio, Prædicatorum omnium methodum secutus sum, qui nonnisi generatim verba fecerunt, quin vel prolixam vitæ illius historiam contexerent, neque fusiorem instituerent nomenclaturam heroicarum actionum illius, quæ in Apostolorum Actis referuntur. Una tantum ejus conversio, quam ipse fusiori enarratione persequitur, illa est, de qua latius verba facienda sunt, quin singulas singulorum itinerum vel operum ejus circumstantias consectemur: sed aliquot tantum morales animadversiones instituendæ sunt, ubi de illius persecutionibus, zelo, præcipuisque virtutibus agatur.

Ubi animadvertendum est etiam in magni Apostoli hujus honorem tres ab Ecclesia festivitates celebrari: Primo enim illum cum S. Petro conjungit ea in sollemnitate, quæ utriusque nomine decoratur; Altera illius unius conversioni dedicata est, quæ colitur tanquam non postremus misericordiæ Domini erga ipsum effectus quem illa pro Gentium conversione converterat. Tertia vero post festum S. Petri diem sacra est ejusdem commemorationi. Plerique autem Sanctorum Patrum, veterumque Concionatorum in sermonibus, & Homiliis suis utrumque Sanctum, hunc conjunxerunt, & in utriusque laudem unam dumtaxat Panegyricam Orationem habuerunt. Recentiores vero, qui in sermonibus suis novitatem quæsiverunt, dilligentissime vitium hoc evitarunt, & singulis singulos sermones aptarunt. Hoc tamen non obest, quominus seorsim haberi possit oratio de S. Pauli Conversione, ut Ecclesiæ mentem sequamur. Verum sicuti qui hoc fecerunt non ita huic inhærent circumstantiæ, ut simul non ostendant ejusdem effectus, ac fructus; quod proprie est Sancti Pauli characterem exprimere; undequaque collegimus, quæ huic inservire possint argumento juxta ordinem ac methodum, quam ipsi nobis præscripsimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Sermonum Argumenti hujus imagines, ac structuræ.

I. PRo textu assumptis his verbis: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus*. Ad Rom. 1. Hoc totum est elogium magni Apostoli, quem hodierna die veneramur. His ergo verbis immoremur, quæ præstantissimos cordis ejusdem sensus exprimunt; & quoniam diei hujus sollemnitas nos ad illius celebrandas laudes impellit, ipsum secundum mentem illius collaudemus. Relinquamus quidquid præstantius, ac magnificentius Ecclesiæ Patres dixere in hujus Apostoli gloriam, & dicamus solum illum fuisse Jesu Christi servum. *Paulus, servus Jesu Christi*. Etenim ex S. Gregorii sententia quicumque vult servus esse, fidelisque miniter, & ad hujus rei perfectionem contendit, tria præstare tenetur. Obire ministerium suum, illud honorare, & cum necessitas exigat semetipsum pro ministerio suo sacrificare. Tria officia, quæ invicem per gradus præcellunt, & quorum alterum primo tantum præstat; quantum tertium secundo. Quippe honorare ministerium suum aliquid amplius est, quam illud implere; & se pro ministerio suo sacrificare, majus aliquid est adhuc, quam illud honorare. Verum cum hæc omnia simul coeunt, afferere possumus zelum ad altissimum excellentiæ gradum, quem habere valeat, evasisse. At S. Paulus extitit fidelis J. C. Servus: *Paulus, servus Jesu Christi*, qua re? quia plenissime functus est toto munere Apostolatus, quia perfecte honori fuit muneri Apostolatus, & quia jugiter pro munere Apostolatus seipsum immolavit. Illum ergo considerare possumus tanquam servum, & ministrum fidelem J. C. sub triplici hac specie.

II. 1. Plenissime adimplevit munus Apostolatus sui per Evangelii prædicationem.

2. Perfecte honori fuit muneri Apostolatus ea ratione, qua prædicavit Evangelium.

3. Jugiter pro munere Apostolatus se ipsum immolavit per eas persecutiones, quas passus est, & labores, quos in Evangelii prædicatione sustinuit.

Hoc totum est, quod mihi proposui argumentum: Verum ne putetis sermonem hunc esse tanquam simplex elogium, quod hic immoretur, ut vobis sublimem S. Pauli conceptum attruat, hic Religionis sermo est; hic canon est ad mores nostros imbuendos; hoc exemplum est, quod nobis proponit Deus, ut illud sequamur, nobisque applicemus. *Bourdaloue.*

Dici potest etiam Deum elegisse Sanctum Paulum triplicem ob causam, quibus Apostolicus zelus illius erat occupandus.

1. Ut Judaismum confunderet.

2. Ut Gentilitatem converteret.

3. Ut Christianismum in ipso illius ortu formaret. *Hæc pars est sermonis P. Bourdaloue, sed quæ integri sermonis argumentum esse potest.*

III. *Legatione pro Christo fungimur*. 2. ad Cor. 5. Reor me numeris omnibus absolutissimum S. Pauli elogium fecisse, cum dixi eumdem dignissimum Apostolum, & Jesu Christi legatum fuisse; cumque hæc præclarissima sit, ac fulgidissima divini hujus hominis prærogativa, satis mihi videtur esse, ut illum habeamus veluti unum ex Ecclesiæ principibus, atque illum etiam super Angelorum choros extollamus. Ut quis dignus habeatur summi alicujus Principis legatus, tria potissimum requiruntur. Auctoritatem obtinuerit necesse est, ut Principis locum teneat, eumque repræsentet. Calleat oportet illius negotia, & voluntates, ut aliis mentem ejus aperiat. Zelo tandem flagrare debet pro ejus persona, & publicæ rei bono, ut quæ ad illius dignitatem, ac utilitatem pertinent, procuret. Verum enim vero si quis unquam fuit, qui tres hasce prærogativas ad Jesu Christi famulatum attulerit, hic procul dubio Magnus Apostolus, de quo loquimur, extitit.

1. Nemo fuit unquam, qui apertius præstulerit, atque magis in honore habendum curaverit augustum magnitudinis Magistri sui characterem.

2. Nemo fuit unquam magis cælestibus luminibus illustratus, vel qui illa uberius in terram effuderit.

3. Nemo fuit unquam amore Domini sui, ejusque subditorum accensus, vel qui utilius pro illius quidem gloria, horum autem salute adlaboraverit. Hoc vobis ostendere fert animus, ut vobis persuasum sit de magnalibus insignis hujus Apostoli, & Legati Jesu Christi, quæ in triplici hac prærogativa continentur, & tres sermonis mei partes constituent. *Abbas Verjus.*

IV. *Vas electionis est mihi iste*. Act. 9. Nihil hanc laudem excedit, vel apertius Apostoli hujus nostri merita extollit. Dici igitur potest, S. Paulum fuisse vas electionis triplici modo.

1. Habita ratione gratiæ, 2. Apostolatus, 3. Muneris Doctoris gentium: In quibus nonnullæ occurrunt peculiares circumstantiæ, quæ tres sermonis hujus partes efficient. *P. Daneau.*

V. *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit*. 1. ad Cor. 11. quemadmodum S. Pauli conversio duos habet terminos, duas etiam partes habet eidem essentiales, quæ simul junctæ efficiunt pulcherrimum atque præstantissimum gratiæ Salvatoris triumphum: Prior est quod furentis Sauli perniciosos conatus perfregit, cum ille nihil nisi primorum fidelium sanguinem eædemque spiraret. Altera est, quod illum in S. Paulum convertit; hoc est in hominem Dei imperio obsequentem, ac paratum ad omnia propter illius amorem, & gloriam agenda, & sustinenda. Admirabilis mutatio, miraculosa conversio hominis, qui partes, causam, sensus, ac voluntatem invertit: *Gratia Dei sum id, quod sum*. Neque id satis est; ut enim hic triumphus magis justus, integerque fiat, Saulus hic immutatus, & factus per gratiam alius omnino

ab eo, qui erat, mox magna, & admirabilia ejusdem gratiæ replet consilia, & ad unguem respondet iis, quæ Deus in ejusdem conversione se ex illo consecuturum sibi proposuit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit*. Hæc duo illa sunt, quæ complectitur conversio magni hujus Apostoli, qui antonomastice Apostolus habetur, & appellatur. Alterum nobis ostendit, quid in illo, alterum vero quid per illum gratia fuerit operata.

Primum complectitur mutationem, quam gratia in illius persona peperit. *Gratia Dei sum id, quod sum*.

Alterum; mutatione, quam ipse fecit in mundo, quem mox eadem opitulante gratia perfecit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit*. Duobus verbis Saulus a J. C. conversus, qui illum vas electionis convertit, Paulus, qui mundum convertit ad Jesum Christum. In hoc situm est magnum opus, & gratiæ triumphus; quæ erunt duæ partes hujus sermonis. *Auctor sermonum in omnia argumenta. &c.*

VI. *Signa Apostolatus mei factta sunt super vos &c.* ad Cor. 2. cap. 12. Voluit Deus miracula S. Pauli Apostoli comitari, & prodigia, quæ operabatur, illi esse loco testium irreprehensibilium in sui ministerii exercitatione. Natura tota magno huic Apostolo paruit; in omnibus elementis mirabilia operatus est, & ille ipse tantum extitit miraculum, ut nemo possit ambigere quo minus a Deo fuerit electus, ut esset Prædicator gentium, & doctor mundi totius, Et sane quid magis insolitum est, quam videre hominem qui Ecclesiam evertere funditus moliebatur, eamdem confirmare? Eum, qui fideles persequebatur, hos docere? Illum, qui Filio Dei bellum inferebat, caput fieri servorum ejusdem, ipsius inimicos lacessere, confundere Judæos, & de Gentilibus triumphum referre? Eum denique qui Martyrum sanguinem fundebat, suum effundere, & ipsum quoque Filii Dei Martyrem fieri? Quomobrem ad Apostoli hujus Panegyricum texendum dicendum mihi videtur omnia in ipso mirabilia fuisse.

1. Vocationem ejus ad Ecclesiam.

2. Eruditionem ejus in cælo.

3. Prædicationem ejus in Mundo.

4. Passionem, & mortem ejus Romæ. Hæc sunt quatuor miracula, quæ humana mens nequit satis intelligere, & admirari. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

VII. *Gratia Dei in me vacua non fuit*. 1. Cor. 15. Gratia tres in Apostolis impressiones fecit ut vellent, ut agerent, ut paterentur propter Filii Dei gloriam, hominum vero salutem. Triplici modo igitur Apostoli gratiæ huic respondere potuerunt; desideriis, actionibus, passionibus suis. Ita S. Paulus triplici immensitate respondit toti extensioni gratiæ Apostolatus sui.

1. Votorum suorum immensitate.

2. Actionum suarum immensitate.

3. Passionum suarum immensitate; atque in omnia replevit suæ electionis officia, omniaque gratiæ de eodem consilia. *Biroat.*

VIII. *Saule, Saule, cur me persequeris?* Actor. 9. S. Bernardus ait quod *Magnifice in hac una conversione, & misericordia magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur.*

1. Commendavit Deus misericordiam suam patienter S. Paulum expectans & amanter illum prævenens.

2. Commendavit gratiæ efficaciam omnes motus cordis ejus immutans.

3. Commendavit gloriam nominis sui illum ad Gentium conversionem destinans. *P. Noier.*

IX. In Ecclesia nulla fuit conversio perfectior illa S. Pauli Apostoli sive ejus vocatio, & illius obedientia spectetur; sive consideretur gratia, quam J. C. illi contulit, & opera, quam ille præstitit J. C. Hinc meum intuemini argumentum, mihique id unum agendum est, ut vobis simpliciter, & sine arte ostendam.

1. Quid pro S. Paulo fecerit Jesus Christus. 2. Quid S. Paulus fecerit pro Jesu Christo. Videbitis peccatum illius gratia deletum, ac pœnitentia reparatum; quæ summa est meæ orationis. *Flechier.*

X. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum &c.* Act. 9. Quamvis arduum sit uno in sermone colligere ea, quæ pro Jesu Christo S. Paulus, & pro S. Paulo Jesus Christus operatus est, ea quæ Religio debet zelo, fortitudini, exemplis, luminibus Magni hujus Apostoli, & quæ Magnus hic Apostolus debet misericordiæ Dei, quæ illum inter gravissimos errores ejus elegit, ut illi sublime Apostolatus officium committeret, atque ut omnibus hominibus perfectæ conversionis exemplum præberet: Hoc tamen magnum est argumentum, de quo vobis sermonem habiturus sum, ubi ut aliquos mihi circumscribam cancellos in re, quæ latissime patet, considerabimus:

1. Sanctum Paulum tamquam magnus opus admirabilis gratiæ.

2. Tamquam magnum operarium gloriæ Dei, quod Scriptura de Sancto Job inquit, *Operarius gloriæ Dei.*

XI. Non minimus gratiæ effectus, vel potius triumphus gratiæ Salvatoris est miraculosa S. Pauli conversio. Hoc ipse Paulus testatur dicens, se gratiæ debere quidquid est; *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit*. Merito igitur dici potest.

1. Gratiam nunquam fulgidius trrumphasse, quam in hujus viri conversione.

2. Gratiam nunquam vehementius pugnasse, quam per os §. Pauli. XII.

Gentium Apostolus ad Timotheum discipulum suum scribens, ait: *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere per gratiam*, quam ipse nobis promeruit; & suam misericordiæ Dei, ac virtutis gratiæ illius, quæ ipsum ex peccatorum omnium antesignano in pœnitentium exemplar converterat. In hac Apostoli confessione, quam facit Apostolus ejus, quod ipse erat ante gratiam, & bonorum, quibus per illam cumulatus fuit, fert animus hoc in sermone vobis ob oculos ponere.

1. Miserrimum statum, in quo magnus hic vir versabatur antequam per gratiam mutaretur. 2. Circumstantias conversionis ejus. 3. Exemplum, & documenta, quæ ex illius conversione possumus haurire. *Molinier.* XIII.

Jubetur Sanctus Paulus per omnes gentes prædicare magnalia Jesu Christi, a quo conversus fuit ut redderet gratiæ, quod gratia pro eodem fecerat; videlicet

1. Gratiam omnia fecisse pro S. Paulo.

2. Sanctum Paulum omnia fecisse pro gratia. Verbo: Gratia ex Sancto Paulo facit Vas electionis; Sanctus Paulus universum mundum convertit, ut ex eo faciat Vas electionis Filio Dei.

Quidquid Patres inquiunt de S. Pauli conversione, redigitur ad tres admirabiles mutationes, quas gratia in illo operata est. Saulus erat peccator, persecutor, & cæcus in Synagogæ favorem præventus. Gratia traducit illum a peccato ad justitiam, ab injustitia ad perfectionem, a cæcitate ad lumen, XIV.

1. Ex peccatore facit pœnitentem.

2. Ex persecutore facit Apostolum.

3. Ex cæco pro lege antiqua prævento, doctorem illuminatum, & zelotem Evangelii Præconem.

In Sancti Pauli conversione considerare possumus miros effectus, & excessus divinæ erga peccatores bonitatis, quod duobus modis spectari potest, & ex hominis parte, & ex parte Dei. XV.

1. Potentia, bonitas, & misericordia Filii Dei erga Saulum peccatorem.

2. Gratitudo, & opera Sauli conversi erga Jesu Christum. XVI.

Omnia facio propter Evangelium. Act. 9. S. Paulus his verbis ostendit, omnem voluptatem suam esse pro gloria Filii Dei operari, ubique illius prædicare Evangelium, hoc esse illius bonum suum, gaudium suum, coronam suam. Facile igitur est, hanc illius esse jucundissimam occupationem: Pro Jesu Christi, & Evangelii ipsius opera omnia facit, omnia sustinet. Affirmare igitur possumus.

1. Quidquid Paulus facit, pro Jesu Christi Evangelio facere.

2. Quidquid Paulus patitur, pro Evangelio pati. *Elegia Historica.*

Pro argumento desumi potest.

1. Cura, qua Jesus Christus Paulum format ad Christianismi, & Apostolatus gratiam. XVII.

2. Cura, qua Paulus servire admittitur gratiæ Jesu Christi, ejusque Religioni. Videlicet, duplici verbo: Paulus Magnus propter cæli dona, Paulus Magnus propter usum donorum eorumdem.

Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus &c. Act. 9. Verum est, Apostolatum esse aliquid ita eminens, sublime, & magnum, ut Sancti alicujus viri Elogium absolutum jam sit, simul ac dicitur ille insigni hac dignitate decoratus fuisse. Etenim nihil majus est, & laudibus, atque admiratione nostra dignius, quam homines erudire, illos ex erroribus, & mendacio eruere, mores illorum formare, illos ad virtutum praxim instituere, eosque a suis cupiditatibus avellere: dicam melius, quam illos in statum adducere cognoscendi, diligendique unicum, & verum Deum. Ad id vocatum esse opus est, participem factum esse missionis Jesu Christi, & quodammodo cum eodem partiri officium Salvatoris Mundi. Hoc itaque uno titulo S. Paulum distinguere placet; neque aliud Panegyricæ orationis in ejus laudem habere fundamentum. Sed cum hæc duo simul ad Apostolum formandum concurrunt; videlicet cum ex altera quidem parte ejus ad Apostolatum vocatio prorsus divina, & miraculosa fuerit, ex altera vero, Apostolus hic vocationi suæ ad unguem satisfecerit: tunc intelligimus, hunc Apostolum magnitudini suæ cumulum addidisse; & propter Apostolatum fuisse fieri nequaquam posse, ut non miros pariat effectus, ac prodigia, quibus Deus illum in hac etiam terra dignari vult, & quæ efficiunt, ut homines etiam respiciunt Apostolum tamquam id, quo nihil sanctius, ac venerabilius sit in nostra Religione. Sanctus autem Paulus utrumque præstantissime polsedit, ac modo, qui illi proprius est, & singularis. Nihil enim majus, quam ejus vocatio ad Apostolatum, nihil majus quam quod propter hanc ad Apostolatum vocationem perfecit. In Ecclesia omnibus sæculis non alio nomine vocatus fuisse videtur S. Paulus, quam hoc magni Apostoli, Apostoli per antonomasiam. Immoremur hic ergo, & videamus: XVIII.

1. Quomodo Sanctus Paulus ad Apostolatum vocatus fuerit.

2. Quomodo Sanctus Paulus functus fuerit munere sui Apostolatus. *P. Chamillart serm. Manuscripto.*

BIBLIOTECA CENTRAL B.A.N.L.